

IN = 030027870

CELEBRIORES  
CONTROVERSIÆ  
CANONICO-  
THEOLOGICÆ  
SUPER RUBRIC. XXXIX.

Lib. V. Decretalium.

SIVE

*De Censuris Ecclesiasticis  
in Communi, & Particulari.*

Corollarijs etiam practicis  
*Contus ELUCIDATA Nazarethani.*  
Studio, & Opera

P. F. JACOBI HOFFSTETTER  
a Labaco, Ordinis Minorum S. P. Francisci  
Strictioris observantiæ in Labacensi studio  
actualis Sacroru Canonum, & SS. Theologæ  
Lectoris generalis, ac Provinciae Definitoris.

IMPRESSÆ

De Licentia utriusque Superiori-  
tatis Ordinis, & Officij Episcopalis.

Anno a partu Virginis M. D. CCXVI.

---

LABACI, Formis Joannis Georgij Mayr, Inclytæ  
Provinciæ Carniol. Typogr.

153117 153117

# CONSECRATÆ

*Religiosissimæ Devotionis  
& Reverentissimi obsequij  
Tesseram*

**JLLUSTRISSIMO**

**ET**

**EXCELLENTISSIMO**  
DOMINO, DOMINO

**GUIDOBALDO**

Sacr. Rom. Imp. Comiti,  
& Domino

**De STARHEMBERG.**

Inclyti Ordinis Teutonici  
Equiti,

Commendatori Labaci ,  
Sacræ Cæs. & Cath. Regiæ Majest.

N 897/1971 Confiliario

Actuali Intimo ,

Campi Mareschallo Generali ,

& unius Legionis pedestris

Chiliarchæ ,



nec non per Regnum Sclavoniæ  
Generali Commandanti,  
Olim Hesperiæ  
PRO - REGI.

*Domino, Domino, ac Pa-  
trono meo Colendissimo.*

 *Ensuras, & pœnas Ca-  
nonicas, id est, Ecclesiæ,  
militantis arma spiri-  
tualia Tibi ex utrōque  
sago pro DEO, & Cæsare Duci  
laureato defero Comes Exellen-  
tissime debitum honoribus Tuis  
)( 2 ob-*

obsequium, nimirum nonnisi glo-  
rioso orthodoxæ fidei, & Austria-  
cæ bonæ causæ Vindici dedican-  
dum; quod quidem illustre Tuo  
marte, vulneribus, sanguine, vi-  
ctorijs comparatum encomium  
quanquam modestia Tuare refugiat:  
tot tamen tantæque vel contra bar-  
baros defensæ, vel DEO Cæsarique  
reductæ Provinciæ adstruunt, &  
confirmant. Quam enim in va-  
stissimis Hungariæ regnis urbem  
etiam fortissimam designabit quis-  
piam, cuius ē Muselmanorum  
manibus extorquendæ Tu magna,  
aut potior pars non extitisses, pro-  
pagato Tui Nominis Virtutisque  
terrore in remotas, atque ultra Bul-  
gariam sub Ottomana tyrannide  
gementes regiones? subinde Italia  
novum incomparabili Tuæ forti-  
tudi-

tudini amphitheatrum aperuerat,  
in quo non multo milite, sed maxi-  
mo labore rem, ac Jura Austriaca  
adversus numerosissimum hostem  
defendisti, promovisti. Sed Ger-  
mania cum Hungaria, & Italia  
per angustum spatium fuerant ex-  
plenda martialis Tuæ gloriæ:  
quare per superata maria in Cata-  
launiam penetrasti, ubi sub glorio-  
sissimis auspicijs Invictissimi nunc  
Cæsar is atque Hispaniarum Regis  
Catholici C A R O L I VI.  
Austriaca labara in Aragoniam,  
Valentiam, ipsumque earum ter-  
rarum caput Madritum intu-  
listi, tot tantisque interim supera-  
tis difficultatibus, ut, quæ à Te  
gesta sunt, suspicerit, qui nunc vi-  
vit, & porrò suspecturus sit, qui  
etiam in seros annos vivet orbis

*Austriacus immortali cum gloria  
tam fortunati bonæ suæ causæ vin-  
diciis. Quem victoriarum cursum  
posteaquam stitissent concessæ belli  
induciæ, Tua tot palmarum Du-  
cem Te recepit Ordinis Tui longè  
Illusterrimi Ecclesia Aemonensis  
intermænia, ut, quem armatus per  
barbaras terras induxisti Cultum  
Divinum, etiam pacificus inter or-  
thodoxos populos propagares. Stat  
enim verò ante plaudentium oculos  
Tuis curis, auspicijs, & impendijs  
supremo Numinis erecta ædes splen-  
didissima, quam, cum invenisses  
lateritiam, effecisti marmoream,  
eternum pietatis Tuæ in superos  
munificentissimæ monumentum,  
testatura semper, quam rara con-  
cordia Religiosus Belli-Dux ea-  
dem manu, qua arma, etiam thus*

DEO

DEO pietatemque in superos tra-  
etaveris. Sed vereor, ne Tuæ lau-  
dum propriarum hosti modestiæ  
gravior sim, quanquam metacen-  
te nulla ætas Tua, atque Tuorum  
sagò, & togâ celeberrimorum Ma-  
jorum decora longè illustrissima  
celebrare desinet: quare imbecilli  
meæ facundiæ terminum pono,  
unumque efflagito, ut, cum Eccle-  
siastica bæc arma è scholasticis meis  
lectionibus producta Tuum Tibi,  
tanquam Religionis catholicæ lau-  
reato Vindici debitum ex meo ob-  
sequium effeceris, eadem Tuis ho-  
noribus dicata gratosissimè susci-  
pias, quæ ubi sapientissimâ Tuâ  
Censurâ probaveris, nibil erit, quod  
censores ulli curarum ingerant ad-  
versus tam potentis Mæcenatis pa-  
trocinium, cuius Religiosam, ac  
lau-

triumphatricem illam totiesque  
laureatam Manum reverentialis-  
simè veneror, quam ut optimi Cœ-  
lites in majus Ecclesiæ Catholicæ  
subsidium diutissimè in columem,  
Et sartam teclam conservent, pre-  
cari nungnam desinam.

Illustriſſimæ Excellentiæ  
Tuæ

Inſimus Capellanus & Seruus

P. F. JACOBUS HOFFSTETTER  
Franciscanus.

# ELENCHUS *Controversiarum.*

**C**ontroversia Clebriores De Censuris in genere.  
fol. 30.

**C**ontroversia prima. De Subiecto passivo Cen-  
suræ 34.

**C**ontroversia secunda. An Subditus delinquens  
extra Dicecesim incurrat Censuram latam  
pro sua Dioceesi ? 38.

**C**ontroversia tertia. De Causa propter quam. 47.

**C**ontroversia quart. a De Causis excusantibus à  
Censura. 55.

**C**ontroversia quinta. De Absolutione à Cen-  
suris. 69.

De Excommunicatione in genere. 79.

**C**ontroversia Interiacens. De Definitione , Di-  
visione, Excommunicationis, & maturita-  
te, quâferri debet. 82.

De Excommunicatione majori. 88.

**C**ontroversia prima. Utrum privet usu activo  
omnium Sacramentorum ? 88.

**C**ontroversia secunda. Utrum privet beneficio  
Ecclesiastico obtainendo, aut obtento ? 92.

**C**ontroversia tertia. Qualis excommunicatio in-  
curratur ob percussionem Clerici, vel Re-  
ligiosi ? 103.

*Controversia Selecta.* An leges Pontificiae vetanties lectionem librorum prohibitorum in Germania vigeant? 111.

*Controversia quarta.* De Excommunicatione minori. 123.

De Suspensione. 126.

*Controversia unica.* De Suspensione ab Officio, Ordine, Beneficio. 126.

De Interdicto. 134

*Controversia unica.* De Administratione Sacramentorum tempore Interdicti. 136.

De Irregularitate 141.

*Controversia prima.* De Irregularitate ex defectu Lenitatis. 143.

*Controversia secunda.* De irregularitate ex delicto in communi. 151.

*Controversia tertia.* De Irregularitate ex homicidio voluntario. 154.

§. I. Homicidium casuale. 154.

§. II. Homicidium morale. 157.

§. III. Homicidium Physicum. 163.

*Appendix prima.* De Bigamia. 169.

*Appendix secunda.* De Excommunicationibus Pontifici summo reservatis. 172.

*Appendix tertia.* De Judice Rei in causa seu criminali seu Civili secundum allegata, & probata nocentis, re ipsa verò innocentis. 176.

*Appendix quarta.* An Sacerdos accusato Civiliter sure incurrat irregularitatem, quia indicavit locum, ubi fur latitans posset comprehendendi? 188.



PRÆFATIO HISTORICA  
DE  
*Ortu, Progressu, & Occasu*  
DOCTORIS SUBTILIS  
**JOANNIS DUNS**  
SCOTI  
*Professione Franciscani, Doctrina*  
*Primigenij, Pietate Martani.*

**S**Alvo in reverentiali observantia Decreto Urbani VIII. Summi Pontificis ad innocentiae Joanneæ coindicationem hæc scribo ; tum ne ullum non minus solidæ, quam subtilis doctrinæ, & coelitus humilitate approbatæ eruditionis Author dignissimus lateat ; tum ut adversantium dæteria cuilibet retundere liceat, quæ calumniandi libido de mortis ejus genere mendaciter effutivit, ita enim plerique clausis oculis in odium ejus impingunt, laudant, quæ sciunt, vituperant, quæ ignorant ; & id, quod sciunt, eo, quod ignorant, corrumpt ( *Tertul. Lib. Apol. cap. 3.* ) sed cum inter ex-

traneos facile sit inimicos invenire (*Tertius cap. 1.*) non miror, si Scotti occasus temporalis, & per naturam debitum ridendam fabula vapulat, id quod in praesentia mea accidit repetita vice, & hinc scribendi argumentum.

Et quidem, ut ab incunabulis innotescat, pijs admodum genitoribus natus est Joannes Duns Scotus Anno Christi 1274. quo S. Bonaventura Doctor Seraphicus Sanctissimam Vitam absolvit, imperscrutabili DEI Providentia sic suaviter disponente, & pusillo Fratrum Minorum gregi prospiciente, ut uno doctrinæ sole occidente, alter Minoribus oriretur. Ita tamen, ut et si universo orbi cunctisque nationibus utiliter illuxerit, plures adhuc harum pro eo sibi vendicando dicunt. Anglia suum esse contendit, Scotia fibi abreptum queritur, Hibernia alteri a se nequaquam deberi calamitat, & esto prior debiliori fundamento inniti censeatur, Scotti tamen cum Hibernis pro Scoto æquali rationum pondere decertare videntur: neque video causam Hibernis favorabiliorem, nisi cum Hiberni olim Scottos se vocari solitos autumant, ipsa Provinciarum Ordinis Minorum partitione, tempore sancti Bonaventuræ facta, comprobante, quæ sic habet: *Provincia Hibernia, sive Scotia.* Adeo ut Scotia major idem quod Hibernia esse debeat, sique

sicque intelligendum Scotti subsequens Epitaphium:

*Scotia me genuit, Anglia me suscepit.*

*Gallia me docuit, Colonia me tenet.*

Hiberniae igitur adjudicatus, hanc Patriam habeat, vel eâ ratione sibi competentem, quâ cognomine *Duns*, & *Scoti* agnomine insignitur: illud à civitate, vel oppido nativo, hoc à regno, vel familia deductum: à Duno *Duns* contractè pro *Dunsius*, vel *Dunensis*, à regno verò *Scotia*, seu Hiberniae *Scotus* nuncupatus; testatur enim *Gerardus Maha* Ordinis S. Benedicti in vita S. Stidani die 31. Augusti in fine tomī 3. celebriores quōsque Auctores usque ad annum 800. imò 1000. absoluto nomine *Scotia*, nullo addito, Hiberniam intellexisse, ac propterea *Scotum Hibernum patriâ esse plus satis constare.*

Prīmis ætatis annis sapientiam quærere cœpit, ob mentis tamen stuporem, & ingeniū hebetudinem non absque trædioſo labore, qui litteras illi defacili exolas reddidisset, ni die quadam (ut vetusta fert traditio apud *Cavellum c. 1.*) sub arbore solitarius benignissimam Virginem DEI Genitricem copiosis lachrymis, & precibus, ut intellectum illuminare, vivum, & vegetum scientiisque capessendis promptiorem efformare dignare-

tur, orasset: etenim mox somno correpto DEI para dignanter apparuit, scientiarum affluentiam, & summam in ejsdem capiendis exprimendisque facilitatem spoondit, hoc tamen fœnore adjectâque conditione, ut sibi per easdem, ubi occasio se se obtulerit, fideliter studeat inservire. Somno devicto magnam super apparitione, & intellectus hebetudine sublatâ, sensit lætitiam, ut crescente in eo quotidiè sapientia, ad doctrinæ mensuram etiam devotionem in Virginem illuminatricem cæperit ampliare.

Adolescens jam grammaticis imbutus, Oxonium à duobus Minoritis ductus, horum gratia in fratum æde commoratus fuisse, & Instituto nomen dedisse scribitur: ast ubi loci initiatus fuerit, dum Hiberni Dunum, Scotti Dunfrisium, *Joannes Major* Oxonium, ut reliquos silentio transeam, assignant, sub incertitudine remansit, nisi forte Epitaphium præmissum liti decidendæ sufficiat. Utut sit, Oxonij altioribus litteris operam dedisse indubitatum est, & quidem sub Guilielmi Varronis ferula, & non Alexandri Alensis disciplina, ut erroneè prætendit *Bzovius*, tam Scoto præceptorem assignans, qui 20. & amplius annis ante discipuli ortum vitam suam ad occasum deduxit. Brevissimi verò temporis decursu adeò profecit, ut in omni sci-

scibili Magister famosissimus evaserit, & in celeberrimis Oxoniensi, & Parisiensi Universitatibus Professor primarius omnium aggratulatione meruerit acclamari, & qui ante mente fuscus, obtususque ingenio dicebatur, *Doctoris subtilis* nomen fibi vendicaverit. Guilielmo Varrone Oxonio Parisios avocato, Præceptoris suo suffectus est, ubi adeò floruit, ut catervatim illuc confluxerint Auditores, & qui ter mille communiter esse solebant, sub annum 1300. quo Scotus illic docuit, triginta millia reperta fuisse, scripsit *Pitseus de Acad. Oxon. C. 6.* concurrebant enim, ait: *Rodulphus in Vita Scotti*, & finitimiis cunctis civitatibus, & penè ex omni mundi angulo, ad Eum audiendum, & videndum, quem quasi quoddam cœli oraculum venerabantur. *Nihil enim tam occultum,* inquit Pitseus, " & abstrusum, quod per " spicax ejus ingenium non penetraverit, & " e tenebris eruerit, nihil denique tam no " dosum, quod ille non dissolverit; nihil, in " quam, adèò erat difficultate interceptum, " vel densa caligine involutum, quod Scotti " ingenium non potuerit explicare.

Oxonij degens, præter Philosophica, doctrinâ insignes commentarios in quatuor libros sententiarum scripsit, ut hi soli æterni ipsius encomio sufficere valcant. Quam-

vis autem quorumcunque opiniones impugnet, feliciter eneruet, tali tamen id præstat modestia , & religione, ut nè verbum injuriosum minus cautè protulerit, sed cum sana doctrina animi quoque candorem noverit retinere. Audi Cajetanum ad 1. p. D. Thomæ sic præfantem , " Theologi complures, nè que adeo contemnendi , magnum sibi non men ingenij ac doctrinæ facturos hinc se esse putaverunt, si veluti munitissimas armes fortissimi Duces solent, ita illi partem hanc primam suis machinationibus oppugnarent. Joannes vero Scotus egregia præter cæteros, hac in re, laboravit subtilitate, & copia, quippe qui singula ejus partis verba labefactare contendat.

Quod autem præ cæteris mireris est, hominem catholicorum , & orthodoxorum Doctorum placita impugnantem, nihil minus catholicum, nihil non orthodoxum dixisse: ut merito Antonius Possevinus Soc. JESU in Apparatu fateri voluerit, inquiens: " Scotti doctrinæ grave testimonium extar, quod ejus libri absque ullo erroris nævo usque in hanc diem trecentos circiter annos in æcumenicis Concilijs inviolati permanescrint. Certè cum illud D. Augustini de laude charitatis verum sit. Serm. 39. de Temp. ad med. " Ille tenet, quidquid latet , & " quid

" quidquid patet in divinis sermonibus, qui  
" charitatem servat in moribus; haud mi-  
" rum fuerit, si ingenium Doctoris subtilis  
" modestia, & charitate praeditum, altissi-  
" mos sensus eruere potuerit ad veritatem  
" indagandam. Huic accedit *Guilielmus Vor-*  
*rilonas*, qui in fine 4. sent. Scotum ipsum  
compellans admirabundus exclamat: " Mi-  
" rum, tot sublimia scribens, quod in errore  
" non es deprehensus aliquo. Idem invenies  
" apud *Petrum Rodolphum & Bargium* accu-  
rate notatum.

Unde stupeo sane, cum Philosophastros  
cuosdam, levioris armaturae, & edentulos  
Scoto-Mastiges de modestissima, & charita-  
tem undequaque redolente doctrina tum  
ore, tum calamo minus considerate protu-  
lisse reperio. Fateor, cum mihi hujusmodi  
quispiam mentem occupat, nequeo illum  
cum Apostolo Juda non redarguere dicente:  
" quæcunque quidem ignorant, blasphe-  
" mant, quæcunque autem naturaliter tan-  
" quam muta animalia norunt, in his cor-  
" rumpuntur. Hi sunt murmuratores que-  
" rulos secundum desideria sua ambulantes  
" & os eorum loquitur superba, mirantes  
" personas questus causa. De his aptissime  
*Cyrillus in Ioa. lib. c. 21.* " Fatuis sane con-  
" suetudo haec est; semper enim sublimiori

doctrinæ, quam ipsi non intelligunt, detraherent, cumque attendere magis deberent, & subtilitatem rerum elevari, contra dejiciuntur, & durum appellant sermonem, quem admirari deberent, non aliter igitur quam edentuli soleant, meliora enim eligunt elementa, solidiora verò, ac meliora edulia magnopere virtuperant, ægrotationem suam celare studentes, mentis quoque accumine privati, scientiam abhorrende solent, quæ magno studio, magnaque opera esset conquirenda. Hæc ille. Inspiciendus est Scotus ut intelligatur, priusquam impugnandus provocetur, & vel cæcūtientem non latebit, quod non modò pietas christiana orthodoxum Doctorem decens, verum etiam doctrina, & humilitas pari passu in ejus lucubrationibus gradiantur. Eligit ille quidem, quod veritati propinquius, cù tamen animi moderatione, ut nullius præjudicio(nomine videlicet plerumque suppresso) veritas suo remaneat loco, & impugnatorum reverentia nunquam proscribatur. Imò ut sui Doctorem juratum sibi faciat, tantum abest, quod, ne eundem ab aliorum devotione divelleret, propria frequenter placita, non secus ac aliorum cribret, ut hoc ipso, non solum animi integritas, sed veritatis, non glo-

gloriæ sollicitudo, in eo fuisse, qui sapit, invi-  
diosoque livore malè affectus non est, vel  
nolens intelligat.

Hæc sunt, quæ gravissimos scriptores in  
miras *Scoti Laudes* texendas impulerunt.  
*Pitse cit.* ait, : " fuit Vir ingenio planè ad li-  
teras facto, & ad miraculum subtili, atquæ  
acuto, ut non tam hominé acie mentis stu-  
pendum, quam inter argutos Philosophos  
quendam dixeris DEUM. Historia uni-  
versalis Hartmanij Schedelij : " Joannes  
Scotus Ordinis Minorum Theologus sub-  
tilissimus, Anno Domini 1300. vel circa,  
velut alter Apollo floruit, & præ ceteris  
Theologis subtilissima quædam opera edi-  
dit. Sexcentorum aliorum loco unicum  
adhuc addam *Cajetanum* S.R. E.Cardinalem,  
virum suorum judicio inter discipulos D.  
Thomæ præcipuum : Hic loco cit q. 14.  
ar. 13. referens argumenta Scoti contra D.  
Thomam docentem, DEUM certò scire fu-  
tura contingentia ex eorum reali præsentia,  
actualique coexistentia ad æternitatem, tria  
ingenuè fatetur ; videlicet nullum Thomi-  
stam ante ipsum sive verbo. sive scripto po-  
tuisse tueri præfatum D. Thomæ assertum  
contra Scoti argumenta, quæ *Cajetanus* ibi-  
dem adducit. Fatetur item se per annos quin-  
decim illorum solutionem ignorasse, & mo-

dum haec in re D. Thomam defendendi non habuisse. Et tandem ait, post irritam speculationem, opus fuit è cœlo delapsa responsa Scotti objectionibus opponere, quali miraculosè nudius tertius à Patre Luminum per preces solutionem aliquam acceperit: vide *Mastrium*, & *Bellutum* in vit. Scotti. Quod luculentissimum scoticæ subtilitatis testimonium esse, quis non videt? & sanè cœlitus acquisitæ doctrinæ,

Parisios migrans Superiorum jussu Bacca-laurei, dein statim Doctratūs laureā insignitus fuit, & in Comitijs Tolosanis Regens creatus 1307. quod ita resert *Posselinus*. " Primum locum in schola Parisiensi assecutus, Academiam illam multum illustravit, " Theologiâ scholasticâ multis subtilitatibus " auctâ. Occasio verò, quâ se Parisios transstulit, ea est, quâ inter Fratres Minores, & Prædicatores de pia Immaculatæ Conceptio-nis Deiparæ sententia quotidiani invalescebant scholastici tumultus ( ac Scotus præ ceteris solidissima hac de re posuit funda-menta ) adeo, ut Apostolico jussu publica desuper indicta fuerit disputatio, Apostolicis etiam præsentibus legatis, ad eam Scotus etiam missus lubens Oxonium deservit, ut quod hic in 3. Sent. pro Virginis illuminatri-cis Suæ Conceptu defensando succincte, sed soli-

solidè scripserat, Apostolico in consensu Ei-  
dem Divinæ Puerperæ gratus depromeret:  
quod *Pelbarum Temesuarius lib. 4. p. 5. ar. 3.*  
sic scribit: "Adversæ partis tutoribus se op-  
" posuit ingeniosissimus Doctor, magnum  
" fuit pondus argumentorum, quibus impe-  
" tebatur, erantque numero ducenta, omnia  
" sine interruptione, quieto, & tranquillo  
" animo attentè audivit, & mirabili memo-  
" ria suo ordine reassumpit, solvendo intri-  
" catas eorundem difficultates, & nodosos  
" syllogismos cùm facilitate, qua Samson Da-  
" lilæ ligamina in favorem Philistinorum po-  
" sita disrumperebat. Addidit Scotus multas,  
" & fortissimas rationes probans Virginem  
" Sanctissimam sine peccati originalis macu-  
" la conceptam. Actus obstupefecit sapi-  
" entissimam illam Universitatem Parisien-  
" sem, quæ in gratificationem Scotum cele-  
" berrimo nomine Doctoris subtilis insigni-  
" vit. Hoc effecit, ut eadem Universitas  
statuerit, ne ulli ad scholaisticos gradus pa-  
teret promotio, ni Virginem Sacratissimam  
à noxa Originali se defensurum juraret.  
Multi hac de re plurima scripserunt, verum-  
tamen, ubi se ab Adversariorum importuni-  
tate expeditos desiderant, nullius, nisi Scotti  
id evincunt argumentis. Unde benè ad rem  
nostrā *Salazar lib. de Concept. c. 13. & 42.* "Sub-  
" tilis-

" tilissimus Doctor, quemadmodum omnibus Theologis Immaculatae Conceptionis propugnandæ auctor extitit; ita etiam nihil prætermisit, quod in hac re ad maiorem gloriam facere posset, &c. Joannes Duns Scotus præcipiuus, ac maximus præræ Conceptionis Vindex, qui tantam huic doctrinæ sua authoritate fidem comparavit, quantum nullus aliis ante, vel post ipsum. Hinc vetustum, sed impolitum, ejus sepulchro appensum Epigramma.

**C**oncepta est Virgo primi sine labe parentis,  
Hic tulit, hic hæresi prælia dura dedit:  
**I**nde genus meriti tantum sibi Papa refundes,  
Doctor subtilis, dicitur, inde dedit.

Nec mireris Scotum tam feliciter pro Virgine Congressum fuisse; fert enim in interrupta Parisiensium traditio, quod ad disputationem procedens, coram obvia marmorea Beatissimæ Virginis Statua prostratus oraverit, & versu illo, *Dignare me, Laudere Te, Virgo Sacra, da mihi virtutem contra hostes tuos*, saepius ingeminato, statua ipsa capitis inclinatione clientem de palma reportanda certioraverit, & in hunc diem sic inclinatam perseverare, testantur *Ferchii in Vita Scotti, Lyneda Soc. Jes. & plurimi autho-*  
*ritate*

ritate his non inferiores. Huic quidam ad-  
cecinit sequenti disticho.

Teradijs Virgo, calamo tu Scote decoras,

Illam, flecte genu, flectet Imago caput.

Profecto cœlesti opus fuit auxilio , ut ea-  
tenus invalesceret Scotti sententia , quam  
ex adverso per tria, & amplius sæcula doctissi-  
mi viri impugnarunt ; hodie verò totus ca-  
tholicus orbis hac in re voto sese scotistam  
profitetur.

Parisijs Victor effectus , cum 1308 extra  
Iutetiam die quadam cum discipulis lassatum  
studijs animum recrearet , mandatum Patris  
Ministri Generalis Gondisalui , quo Coloniam  
migrare jubebatur imperturbatus accepit ,  
& incunctatè eò versus itinera instituit ( obe-  
dientiam mirare ) nec rogantibus discipulis ,  
ut Parisios Valedicturus rediret , annuit , sed  
sanctè respondit : *Pater Generalis Coloniam ire  
jubet , non ad conventum ad salutandos Fratres  
redire.* Causas ab quas , Parisiensibus alio-  
quingratissimum virum , Coloniam destinari  
contigerit , graves quilibet supponit , duæ  
tamen assignantur. Aliqui volunt , ipsum  
Academæ erigendæ , vel jam institutæ stabi-  
liendæ destinatum : alij Begardorum plus in  
Germania , quam Italia insolecenti hæresi  
compescendæ missum volunt adeo enim in-  
valuerat illa , ut Minoribus , & Prædicatori-  
bus

bus è Suggesto Verbum DEI Evangelizantibus sequaces ipsius obloqui non timuerint: alij verò , ut discipulis Alberti Magni , qui contrariam de conceptione Virginis redintegrabant , Colonie palmaam pro Virginis puritate præriperet, utpote qui Parisijs Magistros superaverat. Esto quidem hæc omnia motiva simul concurrisse potuerint Scoti Coloniam Agrippinæ destinando , verius censco ipsum ab urbis primoribus postulatū, quod vel ex eo firmius reor, quod aduentum proceres, totusque cum Populo obujam factus Clerus exceperit. Et quam validè sele tum Immaculatæ Virginis impugnatoribus , tum hæreticæ fæcili trenus Athleta opposuerit , effectus priori Epithaphij disticho comprehensus luculenter ostendit , & vita à pluribus conscripta , quod hæreticos illos ore, scripto, & frequenti congressu nullo loco tolerari passus profligaverit , sufficienter demonstrat testimonij plus satis authenticis.

Tandem his gloriouse peractis palmisque fidei illustrandæ , moribus reformandis , Religioni amplificandæ , posteris erudiendis , virtutibus meritisque ditissimus *Consummatum in brevi , explevit tempora multa Anno 1308. VI. Idus Novembris , ipsa omnium Sanctorum octava die ad Sanctorum omnium*

nium communionem, æternamque requiem  
evocatus est. Ita ultra tabellas sepulchro  
appensas omnes concludunt; ut mirum sit,  
quomodo *Abrahamus Bzovius* non sit veritus  
sequentia posteritati transcribere, dicens:  
"Manifesti, aut certè occulti alicujus crimi-  
"nis apoplexia correptus pænas persoluit, ita  
"quidem, ut nimis festinato funere, pro mor-  
"tuo tumulatus, quùm redeunte vita serò  
"morbi impetum natura discuteret frustra  
"ad petendam opem miserabili mugitu edi-  
"to, pulsatōque diu sepulchri lapide, eliso  
"tandem capite perierat. Error iste primum  
habuit *Jacobum Philippum Bergomensem au-*  
*storem*, à quo omnium primò *Hartmannus*  
*Schedel Nurenbergensis*, & *Sabellius* illum hau-  
serunt: sed *Tribeminius* apud eosdem reper-  
tum, tanquam commentitium neglexit; no-  
vitenim, uti scriptor domesticus, & loco  
vicinior, apoplexiā hujusmodi nimis levi-  
ter excogitam, quam ante Bergomensem  
illum nullus retulerit, neque ullum Germa-  
niæ, maximè Coloniæ, monumentum in-  
dicaret: proinde figmentum præteriens sic  
scribit: "Joannes Duns moritur tempori-  
bus Alberti Imperatoris Anno 1308. VI.  
Idus Novembris Coloniæ apud Minores se-  
pultus. Idem tiam in Chronico Hirsaue-  
giensi: Anno, inquit "Prænotato, obiit in  
"Co-

" Colonia Joannes Scotus, Doctor subtilis,  
 " Ordinis Minorum, ibidem in suo conven-  
 " tu ad introitnm Sacrifiæ sepultus, qui,  
 " quanta scripsiterit, quam subtilia, & profun-  
 " da in Theologia, omnes noruunt, & nos in  
 " libro nostro de scriptoribus Ecclesiasticis  
 " adnotavimus. Sane Trithemius, Author  
 accuratissimus, siquid circa mortem Scoti  
 notandum occurrisset, utpote, qui annum,  
 mensem, diem, sepulturam, & hujus locum  
 tam soleter inquisivit, haud missum fecisset.

Ut improbabilius adhuc sit vivum sepul-  
 tum fuisse festinato nimium funere; huic  
 enim opponitur totius Ordinis laudabilissi-  
 mus mos, sequenti primò post mortem die  
 defunctos Fratres tumulandi. Ecquidem  
 quis credat, Magistrum Doctoremque tam  
 famosum, omnium votis postulatum, om-  
 nium Jubilo ante paucos menses exceptum,  
 ita festinanter ad sepulchrum trahi potuisse,  
 ut ex copiosis, quos plena edocebat schola,  
 discipulis, quos absentes fingunt, nullus  
 adesset? Adhæc mense Novembri mortuus  
 creditur, quo vel maximè studia florent, in-  
 credibile est, ita foris feriatos discipulos, ut  
 nullus adfuerit, qui hujusmodi sensuum so-  
 porem Doctori familiarem fuisse commemo-  
 rassit, uti fabulæ hujus imprudenter asserunt  
**Authores.**

Quod

Quod verò vi morbi decussà , frustra diu  
pulsato sepulchro, & miserabili mugitu opem  
implorasse, ac tandem eliso capite interiisse  
dicatur , planè voluntarium est , adeoque  
ridiculum ; nullus enim est, aut fuit unquam  
in Ecclesia Franciscanorum Coloniæ conca-  
meratorum sepulchrorum ulus , Fratres  
enim effosâ, & superinjecta humo terræ com-  
mittuntur ; quo modo nec spirare, nec mugi-  
re , nec pulsare possunt tumulati . Adhæc  
perpetuus Religionis ritus est , manibus , pe-  
dibusque ligatis mortuos Fratres inhumare,  
& quidem in Provincia Coloniensi præterea  
assere cadaveri substrato hoc illi assolent al-  
ligare ; unde esto daremus huminem sanum,  
& viribus validum manuum , pedumque ne-  
xu asseri alligatum, extra sepulchri angustias,  
in concamerato repositum fuisse , certè is  
nec assurgere , nec capite desuper pulsare  
poterit , quomodo ergo ægrotus , multisve  
horis cum infirmitate luctatus, id tanta ve-  
hementia præstare potuit, ut capite eliso pe-  
rierit ? vulc tamen *Bzovius* . Scotum ad mi-  
serabilem mugitum diù pulsasse , cuius, præ-  
ter audientes, quis testis esse poterat ? si re-  
petitè diu pulsavit, diu quoque audiri debuit,  
maximè præfato loco humatus ; verum quis  
tam crudelis , qui tanto de omnibus bene-  
merito Viro tali in extremitate non succur-  
rit?

risset? Unde factum', quæso, quodd ante *Paulum Jovium*, duobus sæculis Scoto posteriorem tam horribilis, & insoliti casus nemo meminerit? Profecto si hoc ad vulgi, & Prælatorum notitiam fama detulisset, Sacilegum, suique homicidam loco sacro non tolerassent, sed exturbare coacti fuissent Franciscani, & non ad Chorum honoratiore sepulchro transferre.

Estò *Bergomensis* cit. secundo post Scotum sæculo apoplexiā Scotti morti affingat, fabellam tamen, quæ sequitur expunxit, adeo, ut admiratio tantò gravius me occupet, quomodo nimirum P. *Ezovio* Viro Religioso, fraterna charitate conjuncto, Annalistæ Ecclesiastico unicus *Jovius* tantæ fuerit authoritatis, ut rem tam gravem, Minorum Instituto exosam, Doctori classico, & Viro Religiosissimo, amplissimæ scholæ fundatori injuriosam transscribere non erubuerit? sanè ante *Jovium* non est, quem *Ezovius* assignet tragœdiæ hujus memorem, aut qui Scotum sui ipsius homicidam referret: duabus ab obitu Scotti decursis sæculis, nullo auctore citato, aut traditione deducētā, vulgi etiam deficiente rumore, solius *Jovij* auctoritas fabulosum hoc mortis genus Ecclesiasticis *Ezovium* quid coegerit annalibus inferere, indiguum, & venalis pennæ indicium est.

Sub

Subaudio *Bzovium* dentosum suum calamum excusare nitentem, cùm se Joviniana verba retulisse solum non verò fidem extorsisse allegat; immemor tamen sui: nam quid sibi volunt propria ipsius illa verba, quibus narrationem exorsus est, dicendo, *hoc anno volens, nolens, ex humanis obiit Joannes Duns.* Cur etiam, si fidum agebat descriptorem, narrationi Jovianæ, de festinato funere, mugitu, &c. manus sibi devorasse in secundæ editionis auctario addidit Authorem citans *Genebardum*; sed dolosè, hic enim postquam sincerè ex *Trithemio* Scotum Cöloniæ obijisse solum retulit, addidit de præ proprio funete, rumorem incertum dubio hoc verbo fertur, *Bzovius* verò dubium indicante verbo omisso, certum efficere voluit, quod *Genebardo* fabulosum fuit.

Reperit *Bzovius* apud Authores *Jovio*, & incerto rumore multograviores, Bonifacium VIII. extrema manuum sibi devorasse, & caput ad parietem elisisse, quæ tamen omnia diruto sepulchro integra reperta fuere; & ipse *Bzovius* ex diligenti inquisitione sic retundit; "Falsum est quod in Regis Philippi, atque Columnenium gratiam, aliqui impostores olim dixeré, quasi Bonifacius in tam violentum morbum inciderit, ut sibi ipse manuum ex-

" trema eroferit, & furenti similis capite  
" parieti eliso decesserit. Poterant teste  
Bzovio animi passiones hæc de Bonifacio  
effingere, neque plurimi authenticare rem  
poterant Authores, quomodo Scoto detur-  
pando unicus illi suffecit *Jovius*? sanè si ve-  
ritati indagandæ, quod præcipuum histo-  
rici munus est, & non famæ dilacerandæ  
pronior fuisset, reperiens, quod *Jovius* Sco-  
tum Orbi, & Urbi famosum manifesto, vel  
certè occulto crimini luendo, apoplexia  
correptum scripserit, ob judicium falsi sub-  
sistere debuisset: etenim vacillatio, non fi-  
dei, aut propriæ sententiaæ, sed studiosæ  
calumniæ index est: si enim Scotus rerum  
sacrarum illusor, dubitabundus in fide,  
depravator ingeniorum fuit, ut mordax  
*Bzovij* calamus exaravit, cur, quæso, de  
manifesto Scotti criminè dubitatur, & in Di-  
vinæ voluntatis secretum arbitrium refer-  
re conducit? ast quia illa dicere, non pro-  
bare, licuit, ideo ad tenebras confugiunt,  
ut minus depræhendantur quasi hactenus  
dubitarint Christiani *Bzovium*, *Joviūmque*  
historiarum fabulosos consutores, DEI con-  
filiarios fuisse, aptūmque falisitati sit præsi-  
dium imposturæ temeritatem & periculum  
advocare, vel quod rerum Conditor cel-  
lavit, sine revelatione definire: *occulta*  
*relinquamus ei, qui scrutator est cordium,*

& neque Ecclesiæ de occultis, quoad usque talia sunt, judicare concessit. Nigredinem tingere, aut falsum vero honestare difficile admodum est : proinde quia manifesti criminis Adversarij Scotum arguere nequeunt, occultum ( ut nullum sit ) divinant, quasi minus sit in Divinæ Voluntatis secreta, quam in publicam hominū fidem impingere, & sub umbra licentius foret, quam in publico, sub omnium oculis, sole falsum dicere.

Scotum manifesti criminis nunquam traductum fuisse de facili ostendam, & ex parte jam præstiti : cum de ejusdem doctrina tractans, quæ illi objiciuntur crimina, vel omnino nulla, vel falsa dignissimis evici testimonij. Ex abundanti tamen placet adhuc ad commune Divini Naturalisque juris remedium, quod usu testium introductum, & ad veritatem contra maledicorum dicteriatuendam concessum est. Sed quinam suo innocentiam Scotti corroborare valebunt testimonio? utique noti, experti, coævi commilitones, Prælati.

Primò seie offert Religionis Alpha Minister Generalis *Gondisalvus*, de quo sic *Alvarus Pelagius in 2. lib. de planctu. c. 8.* " Sanctæ memoriae Gondisalvus Hispanus, Provinciæ Gallitiæ, nobilis genere, sed nobilior vita, & moribus, & evangelica pauper-

"tate: ut de testis hujus integritate dubitandum non sit: Hic autem Scotum patentibus suis ad baccalaureatum præsentans, sic ait: "Dilectum in Christo Patrem Joannem Scotum, de cuius vita laudabili, scientia excellenti, ingeuiisque subtissimo, aliquique insignibus conditionibus partim ex perientia longa, partim fama, quæ ubique divulgata est, informatus sum ad plenum, dilectioni vestræ, &c. Epistolam hanc per extensum invenies apud *Testignianum l. 3. histor. seraph.*

Attendant nunc, quisquis philalethes est, personam dicentis, & tempus; laudatur in Scoto vita, scientia, &c. quâ fide? publica & privata, quibus universim testimonia, fulciuntur, famâ videlicet & experientiâ. Quis ita testatur? supremus Ordinis Moderator, officio vigilantissimus, vita probatissimus, ut supra *Pelagius*. Quo tempore? cum de Scotti præ pluribus promotione agebatur, quando nimirum vel maximè de vita, & moribus inquirendum: & hoc quidem 1304. quarto ante Scotti mortem anno. Sed fortasse dein criminofus effectus; potuit sanè homo fragilis cadere, potuit & in bono perseverare: hujus porrò postremi argumentum est, quod anno 1307. ut prædixi, Parisijs Regens in-

sti-

stitutus fuerit, qui honor haud deferebatur  
criminosis.

Perseverantium adhuc probat, quod is unicus ē tot Ordinis doctissimis viris idoneus repertus fuerit, qui Coloniam hæresi ptofigandæ, & alijs Conceptionem Virginis maculantibus vincendis, destinaretur cu-  
ve totus Coloniæ Clerus occurreret pro-  
bat adhuc candem statua Virginis, quæ Pa-  
risijs Scoti precibus flexo collo pro Scoticæ  
sanctitatis testimonio in hodiernum diem  
inclinata perdurat: probat item perseve-  
rantiam, ipse Salvator, cum enim hujus cu-  
nas Scotus Parisijs ipsa Natalis Domini nocte  
intimius contemplatione perspiceret, con-  
templanti Divinus seū Pusio in brachia, &  
amplexus devoti servi concredidit, *Marian.*  
*z. p. l. 7. c. 3. teste;* ut autem disparuit visio,  
altiora elegit, carnis deinceps abstinuit,  
nudipes incessit, etiam Sandalijs rejectis, in-  
dumentum ad mortem usque non mutavit:  
quid hic manifesti criminis usque ad annum  
1308. & ultimum Scoti ætatis in ipso som-  
niare poterat *Bzovius.*

Adeamus transitum, sepulchrum, post-  
humam famam inquiramus, & vel ipsa epi-  
taphia adversarios intentatæ Scoto calum-  
niæ convictent. Inter reliqua sepulchro  
appensa sequentia unum continebat.

Tempora post Christum, propria dulcedine  
lethum

Venit atrox raptim carcere composito.

*Propria, inquit, dulcedine lethum, quæ om-  
nem violentiam excludunt patetice.*

Aliud.

**Clauditur hic rivus, fons Ecclesiæ, via, vivus  
Doctot Justitiæ, studij flos, arca sophiæ &c.  
Dux fuit hic veri, claustræ lux, & tuba veri.**

Aliud.

**Hic humilis casta Francisci cordula renes  
Strinxit, erat sapiens, Presbyter officio,  
Fervabat studio, nulli virtute secundus.**

**Quod didicit, totum mox alios docuit.**

Si coëtaneos testes cupias, en discipulum  
Scoti Antonium Andream, qui in fine suorum  
commentariorum in Metaphysicam ait de  
Scoto loquens, "cujus fama, & memoria  
"in benedictione est. Worilon quempiam  
ejus laudibus parem esse negat. Jacobus  
Breullius Benedict: *de Antiquit. Parisiensi.* ait:  
"cujus memoria nunquam peritura præser-  
"tim inter scholasticæ sapientiæ Professo-  
"res, & eruditionem, quam scriptis suis in-  
"seruit, hæreticorum impietati retundendæ  
"opportunam. Marchus Ullispon. vitâ san-  
ctum prædicat. Ambrosius Catherinus in di-  
sput.

sput. de Immaculata Concept. ad S. Triden.  
 Synodus p. 1. ironicè, & per improperium  
 Adversariorum infert. " Ergo in eorum nu-  
 " merum, qui in hanc hæresim incurserunt,  
 " in primis Joan. Scotum includere oportet,  
 " cuius laus quanta sit in Ecclesia, & me-  
 rito soli pravè affecti mente non conspicunt.  
 Ut tædium vitæ unicum adjicio *Ludovi.*  
*Mango.* in vita Scotti dicentem : " non de-  
 " sunt homines quam plurimi, qui eum san-  
 " ctum vocent, ex eo, quod sancta, & sacra  
 " volumina scripserit. Claudam cum *Au-*  
*berto Mirao* historico sincero : " Joannes  
 " Dunsius Scotus Doctor subtilis cognomen-  
 " to, Ordinis Franciscani moritur Coloniæ  
 " octava Novembris Fabulosum illi mortis  
 " genus Paulus Jovius in elogijs virorum  
 " doctrinæ illustrium, affinxit; utpote cu-  
 " jus nulla sit Coloniæ memoria in Monaste-  
 " rij Archivijs, aut epitaphijs varijs tumulo  
 " appensis.

Consule Anton. Possevinum, & alios, quos  
 refert Cavellus, &c. quibus à publico crimine  
 Scotum vindicatum, vel coactus ad vertes,  
 Consule varias ejus funeris translationes,  
 primò enim ad ingressum sacrarij propè al-  
 tare SS. trium Regum reconditum fuit;  
 dein ad Chori medium sub campana hono-

rificè 1499. reconditum. Sepulchrum hoc  
comptè describit Wadingus Tom. 1.

Sed fortè apoplexia, & subitanea mors, si  
non manifestum, saltem occultum crimen  
indigitat : ita volunt Adversarij, sed nihil  
minus impiè quam temerariè : non enim  
mortis, sed anteactæ vitæ habenda estra-  
tio: *mala enim mors*, inquit S. Aug. 1. civit.  
c. 11. "putanda non est, quam bona vita  
præcesserit: non itaque curandum est eis,  
qui necessariò morituri sunt, quid accidat,  
ut moriantur; sed moriendo quò ire co-  
gantur. Quid autem interest, quo mor-  
tis genere vita ista finiatur. Quis filios,  
& filias Job ruina domūs subito oppressos  
damnabit? quis Simeonem stillitem fulmi-  
ne percussum, cuius animam ab Apostolis  
efferri vidit S. Abbas Julianus? quis sanctum  
**Agatonicum** à Leonibus discerptum, quem  
alias in noctis frigore fovebant? Quis San-  
ctum Bellinum à canibis laceratum? plures  
invenies apud *Bonaven. Connor.* in Elencho  
encomiorum Scotti; ut Martinum V. Joan-  
nem Albertum Poloniæ Regem, Paulum II.  
Carolum VIII. Galliæ Regem: quod viri  
indies, aqua terrâ, runis domorum, & pa-  
rietur tumulantur? præterita vita, non vio-  
lenta mors, reputatur ad præmium, vel ad  
pœnam. Mors omnium certa fuit, causam  
sibi

sibi DEUS reservavit: quid si igitur Doctorem subtilem apoplexia tactum, vel alia quapiam subitanea, & exotica morte abreptum dixerim, nihil in eo singulari præter commune multorum factum, quod pijs sanctisque vires manifestum est, contigisse, reperies, mors enim vitæ cursum abrumpit, non mutat statum. Reducendi sunt ergo Adversarij, ut citra vitium discurrant. Vita Scotti Sancta, & inaccusabilis fuit: ergo & mors: consequentiam reperies in sap. cap. 4. *Iustus quacunque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*

Nullo itaque modo sive ad laudem, sive ad vituperium struatur, admittenda est violenta mors Scotti, acceleratum funus, quod merum figmentum esse, ultra rationes adductas evincit silentium omnium, qui Iovij tempora præcesserunt, eorum maximè qui non dissimulanter, sed palam, & acriter in Scottum scripserunt, ejusque doctrinam labe-factare ad ultimum potentiae conati sunt. Ex his præter domesticos Ochamum, & Averolum, fuerunt Assertores D. Thomæ; Hervæus, qui decimo septimo post Scotti obitum anno decepsit, & cum ipso Scoto Coloniæ de summis Theologiae apicibus disputavit, Eckio viro pijissimo referente. Item Paludanus, qui eodem tempore floruit,

apud

apud hos nulla est memoria, sive de apoplexia, sive de extasi, sive quod hanc vel illam affectus tumulatus fuerit. Quae omnia inscitiam, vel inadvertentiam *Bzovij* arguere, quis non videt? sequamur ergo traditionem scriptoribus Colonenses, quibus rerum domesticarum major fuit cura, major quoque debetur fides, prout veritatis, & historiarum regulas docent, mortemque Scotti naturalem more aliorum, celerem tamen brevique morbo praevente fuisse haud ambigamus.

Alia, quae de Scotti pietate, & virtutibus innumeri propemodum scripsere in praecitato *Wadingo* reperies. Quin imò à varijs Authoribus collocatur in numero Beatorum, ac *Bartholomaeus Pisanus*. *Antonius Andreas*. *Marianus Florentinus*. *Marcus Ulispon*, *Philippus sofa*. *Gilbertus Bruno Abbas Cisterciensis* referunt, Joanni Scoto à Scottis Dunfrisijs deferri honoré Sanctis proprium. In varijs Ordinis Ecclesijs signanter Urbis Nolæ reperitur ejus icon aureolis beatorum ornata. His aliisque insignis Pietatis Joanneæ testimonij motus quidam Italiae Princeps Anno 1704. nova prece petijt ut Joannem Duns Scotum Doctorem subtilem, & Marianum Regnans Sanctitas CLEMENS XI. albo Sanctorum inscrere dignaretur, teste

Petro Antonio à Venezia in suo historico horto Seraphico. Tom. 2.

Ut tandem in fine ex ungue leonem agnoscas, quidve animo gesserit, lege, quod is in 4. d. 50. q. 1. docuit. "Non id curandum quod creatura, sed quod DEUS offendatur; quod ne committatur, eligendum potius in nihilum reduci, idque propter sincerum DEI amorem, non propter pœnas gehennæ fugiendas. Hinc non solum doctrinæ, sed & pietatis, ac virtutum exempla imitanda posteritati reliquit: ut protestari dabeam, me non tantum calumnias ejus morti affictas retundendi gratia hæc diffusius præmisisse, quam cuilibet narratiunculam hanc legenti stimulum adhibendi causa, quo in DEUM ( omni offensâ declinatâ ) Ejusque Sanctos pietatem, in profectu humilitatem, erga maiores reverentem obedientiam servare adlaboret.



CON:

† †

† †

**CONTROVERSIÆ  
CELEBRIORES  
CANONICO-  
THEOLOGICÆ  
SUPER  
Tit. XXXIX.  
Lib. V. Decretalium.**

DE

*Censura in genere, Corol-  
larijs etiam practicis,  
Elucidatæ.*

**Corollarium Proemiale.**

1. **C**ensura à Censore derivata indicat munus animadversionis, & coērēttonis , quo Ecclesiæ Prælati utuntur in sibi subditos aliquandò rebelles, refractarios, & in malis operibus aut flaccidentes , aut penè consumptos : eam *Enricus Pirbing lib. V. Tit 39. Sect. 1. §. 1.* describit in genere , " est pœna quædam spiritualis , " ac

" ac medicinalis privans usu aliquorum bo-  
" norum spiritualium per Ecclesiasticam po-  
" testatem inficta delinquenti, donec à con-  
" tumacia recedat. Dicitur "usu bonorum  
" spiritualium ad differentiam bonorum  
temporalium, seu corporalium, circa quæ  
potestas Ecclesiæ indirecte versatur : quare  
censura primariò privat bonis spiritualibus,  
secundariò , & indirecte bonis temporali-  
bus V. G. communicatione humana.

2. De fide est, potestatem , & virtutem  
sacrosanctam esse in Ecclesia Catholica in-  
stituendi censuras : sicut enim medicina  
corporalis duplē sanandi vim habet ,  
qua utitur sapiens Medicus, nempe quan-  
dōque per medicamenta suavia , quan-  
dōque mordicativa ; ita in medicina spi-  
rituali alia virtus suavis est per piam exhor-  
tationem, spiritualium bonorum communi-  
cationem , & sacramentorum administra-  
tionem; virtus verò mordax est per incre-  
pationem , & Sacramentorum subtractio-  
nem: & utrāque virtute uti debet Medicus  
spiritualis pro infirmorum conditione , &  
morborum varietate.

3. Veritas hujus constat ex illo *Mattib. 18.*  
*ver. 17.* " Quod si non audierit eos : dic  
" Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit ,  
sit tibi sicut ethnicus , & publicanus: & post  
utri.

ver. 18. "Amen dico vobis , quæcunque  
" alligaveritis super terram , erunt ligata &  
" in cœlo: Cum ergo ethnici , & publicani  
extra communionem Ecclesiæ reputentur ;  
taliter debet secundum Ecclesiam reputari  
extra communionem , qui morbidus , qui  
rebellis , qui contumax in malo , & ideo cen-  
suratus est.

4. Ob Excommunicatus traditur Sathanæ ex authoritate practicata per D. Paulum  
*1. ad Corinth. 5.* ubi Apostolus fornicatorem  
manifestum tradidit Sathanæ : at hoc vide-  
tur impium , & crudele : ergo . R. Sathanas idem est ac Tortor non animarum tan-  
tum , verum etiam corporum , tradere au-  
tem tortori potest contingere dupliciter ,  
aut cessando à protectione torquentis , aut  
exponendo , sive jubendo tortori , ut affli-  
gat . Excommunicare igitur secundum præ-  
sentem Ecclesiæ statum eit Sathanæ tradere  
per subtractionem protectionis , quæ pro-  
tectionio consistit in Suffragijs , & usu sacra-  
mentorum , quibus munimur contra hostis  
insidias . Tempore autem Ecclesiæ primi-  
tivæ , quando Dæmones ipsis Apostolis  
subijciebantur , & manifestanda erat fides  
per miracula , excommunicati non tantum  
exponebantur , fed etiam corporaliter ad  
mandatum Apostoli vexabantur à Sathanæ :

& istud decuit in principio Ecclesiæ fieri ad terrorem vel propter excellentiam Apostolorum: nunc autem licet non ita vexentur in corpore, & spiritu, vexandi tamen exponuntur, & pro tanto dicuntur Sathanæ tradi, & verè excommunicari: hinc argumenti Min. Nego, "ut spiritus saluus sit in die Domini nostri JEsu Christi.

5. Advertat porrò aurea Chrysostomi verba *Hom. 4. in Epistolam ad Habreos.* quis quis hanc Ecclesiæ traditam potestatem, aut non curat, aut contemnit: "Nemo vincula contemnat Ecclesiastica, non est homo, qui ligat sed Christus, qui nobis hanc dedit ligandi potestatem, & efficiens, ut homines in sua potestate habeant tantum honorem. Nam nos quidem uti voluntus potestate ad solvendum. Imò verò vellemus, ne hoc quidem esse necesse, nullum enim volumus esse apud nos vincum, sed si necesse habuerimus, ignorate: non enim lubentes, nec volentes, sed magis quam vos vincti dolentes, vincula injicimus: si quis autem illa contemnat, audiet tempus Judicij, quod ipsum doceat.



# Controversia I.

*De Subjecto passivo Censuræ.*

**U**Trum unus idemque viator possit pluribus seu diversæ, seu ejusdem rationis censuris irretiri?

Respondeo. *Una Censura irretitus capax manet etiam plurium seu diversæ, seu ejusdem rationis; idemque probabilius dicitur de irregulari.*

6. Sic communiter doceri testatur *Dian.* quo ad primam partem paragraphi pa. 5. tr. 9. R. 60. fundamentum enim censuræ est actus contra præceptum præcipiens, aut prohibens: sed potest quispiam actus & formaliter, & moraliter plures seu ejusdem, seu diversæ rationis transgressiones committere: ergo. Nec refert, quod semel excommunicatus hoc ipso privetur omnibus bonis communibus Ecclesiæ; quia eadem privatio potest induci pluribus titulis, tum in ordine

ad satisfaciendum pluribus: tum qnod quælibet censura ita sit per se privativa eorum bonorum, ac si per aliam privatus non foret. Sumitur instantia à peccato mortali privativo gratiæ, & illativo poenæ: item ab absolutione sacramentali cadente supra peccata jam semel confessa, & remissa.

7. Potest præterea evenire, ut propter unicum objectum materiale plures censuræ ferantur à diversis diversam habentibus potestatem, quorum fora læduntur: in quo casu objectum formale, seu contumacia singularis respectu singulorum Præsidum erit multiplex: item fieri potest, ut unicum delictum constans pluribus circumstantijs speciem mutantibus puniatur censuris pluribus: sic in sententia *Suar. disp. 5. sœt. 3. n. 8.* percutiens unica actione duos Clericos dupli- ci censura ligatur, cum in duas personas reus sit. Pariter qui Religiosum eundem & fæcerdotem percuteret; quia duplii diver- so statui injuriam irrogat.

8. At major difficultas est in secunda pa- ragraphi parte: utrum qui commisit plura homicidia contrahat plures irregularitates necessariò manifestandas in petitione dispen- sationis? Negant graves DD. *Henricq. Sanch. Filiu. Cas. Pal. to. 1. tr. 3. disp. 16. §. 4. n. 16.* cum enim irregularitas se habeat per

modum habitūs, seu formæ privativæ, non potest amplius ex eadem causa inhabilitari, aut privari.

9. Confirmant primò. Si quis ter, aut quater contraxit nuptias, non contrahit plures irregularitates necessariò explicandas *Sancb. L. 7. de Matrimonio. disp. 86. n. 24.*

10. secundò. Si quis plures filios ejusdem Patris levet, unicam compaternitatem contrahit. *Tertio.* Si cum sorore sponsæ saepius fornicetur, unicum impedimentum affinitatis incurrit, nec in dispensationis petitione opus est explicare numerum patratarum fornicationum.

11. Affirmant contra *Con. Avil. Rodrt. Suar. Lib. 6. de Legibus. cap. 4. n. 12.* quæ sententia cum teste *Baun. 10. 2. tr. II. q. 40.* sit de stylo, & praxi curiæ Romanæ, amplectenda est: cujus ratio prima; quia in genere moris potest quispam eadem re ex diversis capitibus privari. Dein negatur, irregularitatem esse habitum, & formam, est quippe potius causa efficiens inhabitatis, sicut excommunicatio privationis bonorum Ecclesiæ. II. Quia negari non potest, irregularitatem ortam ex pluribus homicidijs esse moraliter graviorem, & ob majorem deformitatem inde consurgentem specialiter à Jure considerari, quod non fit in alijs speciebus irregularitatis; hinc docet *Corad. L. 59.*

**cap. 2.** In supplicatione pro dispensatione super homicidium , necessariò exprimendam esse qualitatem homicidij.

12. Ad fundamenta opposita , dictum est n. 11. irregularitatem esse causam efficien- tem ; & quanquam daretur , esse causam formalēm privativam , nihil obstaret. Ad primam confirmationem n. 9. negat hoc ipsum *Corad. Lib. 2. cap. 2. n. 24.* & testatur , id esse contra notorium stylum curiæ Ro- manæ , & amplior disparitas est , quia tanta deformitas non reperitur in pluralitate Bi- gamiæ quam in pluralitate homicidiorum.

Ad secundam n. 10. dispar quoque ratio est ; quia compaternitas consurgit etiam ex diversitate Parentum naturalium , qui in hoc casu plures nequaquam sunt. Et in tertia confirmatione , affinitas multiplicatur per personarum corruptarum numerum , qui in casu adducto non habetur : secus fit in irregu- laritate homicidij. Verūm.

13. Quæres. An exercens Judicis , aut Assessoris officium in causa sanguinis , & pe- tens dispensationem super defectu lenitatis , teneatur explicare numerum actuum exer- citorum ? Resp. non videri explicatio- nem esse necessariam , neque enim is nu- me- rus major , aut minor apprehenditur forma- liter ad majorem deformitatem , prout fit

in multiplicatione homicidiorum , sufficit proinde exponere, se officium Judicis , aut Assessoris in causis capitalibus exercuisse : cum non constet de stylo curiae opposito.

### \* *Corollaria practica*

**14.** **H**inc in praxi censuræ subiectum est homo vivus, non defunctus, quem absolvere nil aliud est, quam viventibus dare facultatem , ut eum in loco sacro sepiant, orentque pro eo : baptizatus : usus rationis capax.

15. Deinde ad incurrendam Juris censuram sufficit, quod sit doli capax ; unde hanc incurrire potest etiam septennis , aut inferioris ætatis, quando malitia supplet ætatem; hominis autem censuram ex communi DD. sensu non incurrit, nisi qui nubiles attigerit annos,

### **Controversia II.**

**A**n Subditus delinquens extra Diœcesim incurrat censuram latam pro sua Diœcesi ?

**R**esp. **S**ubditus non incurrit censuram latam per legem,

gem, aut statutum, si delinquat extra Diœcesim, aut si delictum sit inchoatum in proprij Episcopi territorio, sed consummatum in alieno; probabilius tamen videtur, quod incurrat latam per sententiam directe respicientem bonum subditi, vel aliarum personarum, quamquam extra Diœcesim delinquat.

16. Prima Pars de censura lata per legem, aut statutum docetur communiter cum *Co-var.* in cap. 2. de *Conflit.* in 6. Lex enim, seu statutum in hoc differt à præcepto, vel sententia ( licet nullam inter hæc differentiam agnoscere velit *Basil. Ponce lib. 5. de Matrim. cap. 7. §. 2. n. 19.* ) quod statutum directe respiciat territorium legislatoris; sententia vero immediatè personam subditam, cuius quasi ossibus cohæret, quocunque terrarum diœcesserit. *Laym. cap. 11. n. 2.* atqui jurisdictio Episcopi non se extendit ultra suam diœcesim, & extra territorium Jus dicenti non paretur *L. ult. ff. de Jur. om. Jud.* ergo.

Oppositum tamen tuetur *Cas. Pal. 10. 1. tr. 3.*  
*dp. 1. p. 24. §. 5. n. 21.*

17 Adde cum *Henriq. Sa. Avil. de cens.*  
*pa. 2. cap. 3. dp. 2. dub. 5.* Si quis subditus  
 Episcopi delinquat in loco exempto ( licet  
 sit solum exemptus quoad personas V. G.  
 in Monasterio contra *Suarez*, & *Coninch*,  
 volentes, exemptionem etiam quoad lo-  
 cum ipsum requiri ) non incurret excom-  
 municationem : quia locus exemptus, &  
 locus extra territorium aequiparantur  
 quoad Jurisdictionem ; nam quamquam  
 locus ille sit quo ad situm de territorio Epis-  
 copi, non tamen est quoad Jurisdictionem,  
 Hinc infert *Bonacis. dp. 1. q. 1. p. 11. n. 9.* ac-  
 cedentem ad monasteria Monialium exemp-  
 ta incurtere censuram latam per statutum  
 contra accedentes ; nam accessus fit in ter-  
 ritorio Episcopi ; non tamen incurret la-  
 tam contra colloquentes cum Monialibus,  
 cum collocutio fiat in loco exempto.

18 Secunda Pars requirit nimirum con-  
 summationem delicti in territorio Episco-  
 pi : docetur à *Gordono* post *Suarez* *dp. 4.*  
 quoad censuras ; secus quoad alias poenas,  
 vel effectus : cum enim *L. I. C. ubi de Crimi-*  
*ne, &c.* habeatur, posse crimina utrobius  
 puniri, ubi commissa, vel inchoata fuerint,  
 delinquens utrobius habetur reus : at ve-  
 rò

rd ferentis censuras mens non est , ut eae incurvantur ante delicti consummationem : tum quod sine hac non possit dici crimen revera perpetratum , seu causam censuræ datam fuisse ; tum quod statutum tam gravis poenæ sit valde odiosum , & strictæ interpretationis . Quare & communiter docetur , censuram latam contra committentem aliquod delictum , non comprehendere mandantem , aut consilientem , licet hi censeantur moraliter committere delictum . Sancb . Lib . 3 . de Matrim . d . 49 . n . 2 .

## Corollaria practica.

19. **H**inc pro praxi sequitur I. Si v. g. Stuprum sit in tua Diœcesi prohibitum sub excommunicatione , & raptam virginem in aliam Diœcesim deportes , ibidemque corrumpas , non incurris censuram latam contra stupratores , licet per tactus stuprum inchoes in tua Diœcesi .

20 Secundò. Si lata sit censura contra occidentes in Ecclesia , ille qui sagittam jaceret intra Ecclesiam suæ Diœcesis existens , & occideret hominem in alterius Diœcesis loco existentem , non foret censuræ obnoxius Shar . L . cit . qui n . 10 . & 11 . objectionibus respondens docet tamquam sibi proba-

bilius, eum tamen incurrere censuram, qui vulnus lethale intra Diœcesim infligeret, quamquam mors extra eam sequatur: quia tota actio, ex qua intrinsecè mors secuta fuit, posita est intra territorium, ita ut ratione hujus actionis dici possit consummatum homicidium in Ecclesia quoad effectum suum intrinsecum. Verum alij A. A. etiam in hoc casu à censura talem excusant.

21 Quæres, Titius causam dedit homicidio, aut abortui, deinde vero resipiscit, confitetur, absolvitur, nec in potestate sua amplius habet causam tollendi, incurretne censuram, aut irregularitatem? Negant *Hurd*, *Mazuchel* apud *Dian.* p. 8. tr. 7. R. 85. mors enim secuta non est amplius voluntaria Titio nec in se, nec in sua causa. Titius præterea jam est in statu gratiæ, amicus DEI, neque amplius rebellis Ecclesiæ: his videtur accedere *Pal.* dum de Censuris d. 1. p. 7. n. 15. docet, mandantem vel consulentem posita revocatione, & pœnitentia non fore reos censuræ, secus irregularitatis. Ad hoc *Facund.* L. 7. c. 7. n. 17. negat Titium iucurrere reservationem peccati: ergo nec censuram.

22 Resp. Cum communi apud *Tamb.* Lib. 10. t. 4. §. 7. n. 25. & §. 8. a. n. 16. Titium, dummodo ex data ab eo causa secutus fuerit effectus, incurisse censuram, & irregularitatem:

tem : quia licet censura non incurritur, nisi propter peccatum mortiferum , non tamen requiritur , ut peccatum illud tunc formaliter actualiter committatur , quando contrahitur censura , sed sufficit commissum fuisse in sua causa , ex qua deinde consequitur opus externum , quod semper manet saltem denominativè voluntarium , & liberum.

23 Ad rationem oppositam dico ; plures effectus censurarum non repugnare statui gratiæ ; & licet Titius non sit contumax Ecclesiæ pro foro interno , pro externo tamen , & juridicè adhuc manet rebellis ; quia censuræ per solam internam resipiscientiam non tolluntur . Quod ex *Pal.* adducitur , rectius negat *Leff. L. 2. de Just. cap. 13, dubit. 3,* denique contra *Facund.* incurriā Titio etiam reservationem docent *Sot. Sancb. Pal. t. 1. t. 2. d. 1. p. 3.* dari tamen potest dispar ratio ex eo , quod idem peccatum non teneatur bis confiterti.

### TERTIA PARS.

24 De censura lata per *Sententiam generali* aut specialem satis controvertitur . Negant enim talem censuram incurriā delinquentे in aliena Diœcesi subdito *Præpos. Hurd.* aliisque , quorum sententiam pro-

probabilem vocat *Dian.* p. 5. t. 9. R. 37. Subscribo tamen affirmantibus. *Sayro.* *Suar. Pal.* t. 1. tr. 3. d. 1. p. 24. §. 5. n. 2. potest enim superior dirigere subditum quoad bonum ejus spirituale, aliorumque suorum, etiam si in alieno territorio verlentur: atqui talis sententia, aut præceptum directè respicit, & immediatè personam subditi, non verò territorium, quodeum stringit, & obligat, quamquam alibi existentem. Quare hic locum non habet regula Juris: Extra territorium jus dicenti impunè non paretur; quia Episcopus non dicit Jus extra territorium suum, sed subditus obligationem personalē in Episcopi sui territorio contractam secum defert. Nec enim obstat diversitas territorij; quia in hoc nullus actus corporalis, nec ulla exterior vis ab Episcopo exercetur.

### *Corollaria practica.*

25. **H**inc sequitur primò. Si Episcopus sub censura vetet, ne subditus extra Diœcесim Missam faciat, aut æconomi fæcularis munus obeat, &c. sacrificans, aut ad instar æconomi fæcularis officium exercens incurret censuram etiam in aliena Diœcesi.

26. Sequitur secundò. & à fortiori, si Epi-

Episcopus commorantem subditum in aliena Dioecesi sub censura ad synodum vocet, non comparens reus erit censuræ: delictum inobedientiæ committitur in territorio proprij Episcopi.

27 Sequitur tertio. Superiores Regulatum posse jurisdictionem in suos exercere ubivis locorum, cum sint illis penitus subjecti, ubicunque demum existant.

28 Sequitur quartò. In favorabili sententia *Sanch. Connich. Dian. Laym. c. 4. n. 5.* advenas, & peregrinos brevi tempore commorantes, nullâ illic constituta habitacione, non ligari censuris ejus loci sive per statutum, sive per sententiam generalem latissimam enim non sint subditi ferentis, non peccant contra statutum: latius quoque probat cum *Sanch. cit. Laym. l. 1. t. 4. c. 12. n. 4.* eos non obligari legibus, aut consuetudinibus particularibus ejus loci defectu jurisdictionis legislatoris localis, nisi forum sortiantur vel ratione domicilij, vel delicti, vel contractus per *cap. ult. defor. compet.* aut nisi leges tales sint, quæ specialiter feruntur ob bonum, & utilitatem talis reipublicæ, vel ob pacificam communicationem cum incolis. Videri potest *Sanch. l. 3. de Matrim. d. 18. q. 1.* oppositam tamen rigidiorem sententiam docent *Suar.* & alij quos citat, & sequitur *Barbos. in Collect. t. 2. l. 2. c. 31. n. 4.*

29 Quæres primò. Utrum Episcopus existens extra suam Diœcesim possit aliquandò suum subditum excommunicare? Negat *Præp. D. 5. n. 34.* Resp. cum *Barbos. de off. & potest. Epis. p. 2. alleg. 6. n. 17.* affirmative, quando non vertitur cognitio lcausæ, eò quod crimen sit manifestè clarum, & quando effectus confertur in Diœcesim Episcopi: sic enim non læditur jurisdictione alieni territorij.

30 Quæres secundò. Utrum Episcopus possit suum subditum in aliena Diœcesi, ad quam post patratum in sua crimen fugit, malitiosè existentem citare? Affirmat cum non paucis *Laym. l. 1. t. 4. c. 4. n. 7.* moveri possunt primo. quia citationis executio per nuncium non est actus jurisdictionis. Secundò. potest sine causæ cognitione excommunicare: ergo etiam citare. Tertiò id videtur haberi in *cap. Romana. de foro compet. in 6.* Quartò denique videtur summus in terris Pontifex hanc Diœcesano præbere auctoritatem.

31 Resp. Negativam videri probabiliter, quam cum pluribus defendit *Dian. p. 5. 7. 9. R. 34.* nisi vel privilegium, vel consuetudo adfit in contrarium: quia citare aliquem, sive hæc citatio proferatur à Judice, sive à nuncio, est actus jurisdictionis: nam tam pro-

pronunciatio mandati, quam ejus promulgatio, vel intimatio spectat ad actum judiciale, quin à Juris Consultis appellatur fundamentum Judicij: & hanc sententiam servari in praxi, atque olim jam servatam Romanorum tempore ostendit *Dian. cit. n. 9.* dum Judices Loci mittebant literas ad Magistratus Locorum, ubi Rei consistebant ad eos citandos.

32 Hinc negatur ratio Laym. *ad secundum* dispar ratio est: quia in tali excommunicatione nullus fit strepitus judicialis, nec actus corporalis in alieno territorio, secus in citatione. *Ad tertium* in eo capitulo intelliguntur citati fuisse auctoritate Judicis Locci mediantibus literis deprecatorijs ad eundem missis ab externo Justice. *Ad quartum* non satis constat, talem auctoritatem concessisse Pontifices.

## Controversia tertia.

*De Causa, propter quam.*

### §. I.

**R**EPO. *Causa, propter quam ordinariè infligitur censura, est peccatum mortale.*

33 Ratio: Cum enim censura sit pœna  
gravissima, requiritur proportio culpæ, pro-  
ut ex communi Conninch. d. 13. d. 8. Conclus.  
2. notans dicit, quod licet in sacris canonि-  
bus reperiatur lata excommunicatio propter  
causam *absolutè* levem, eam tamen *respectivè*  
ex circumstantijs accidentibus, & concur-  
rentibus fuisse gravem.

34 Hinc fieri potest in praxi *primo*, ut si  
superior ferat præceptum de re secundum  
se leviter mala, aut indifferenti, ex qua ta-  
men prævideat oriturum grave damnum,  
obligetur subditus abstinere sub gravi pec-  
cato, & sub censura, si quæ lata fuisset.  
Fieri potest *secundo* ut subditus vel ex igno-  
rantia, vel alia ex causa excusetur à culpa  
mortali, & in hoc casu nec censuram an-  
nexam incurret. Laym c. 4. n. 1.

35 Dixi ordinariè infligitur: inferius enim  
dicetur, excommunicationem minorem  
incurri ex causis levibus v. g. quodquis fa-  
lacet excommunicatum non tolleratum, &c.  
idem est de suspensione levi.

## §. II.

### Externum.

36 Ad incurrendam censuram sufficere  
actum pure internum, docent non  
pauci Canonistæ, dum asserunt hæreticum

om-

Omnino occultum incurtere excommunicatioem per *Clement.* l. de. H.H. Sed opposita est verior, quam cum Communi propugnat *Pal.* p. 7. n. 4. Ecclesia enim militans non ligat neque judicat actus pure internos, cum de his tamquam sibi incognitis non possit judicialiter cognoscere, hinc illa proverbia enata sunt, *Ecclesia non judicat de occultis.* Item : *non habent latentia peccata avin dictam :* & habetur *cap. Tua nos. cap. Sicut tuus de Simonia.*

## *Corollaria practica.*

37 EX utroque paragrapho infertur pri-  
mo; nec propter haeresim pure internam, quæ nec verbô nec signô aliô exte-  
riùs judicetur, incurri censuram *Barbos-*  
*cis.* n. 6.

38 Secundò. Licet actus internus sit mortaliter malus, externus autem venialis e.g. percussio levis inficta Clerico ex mortaliter pravo animo, non tamen incurrit excommunicatio. *Sanch. l. 2. in Decal.* c. 8. n. 7. cum requiratur actus etiam exter-  
nè gravis, perfectus, & consummatus in ea specie, quam statbit lex, quæ utpote pœ-  
nalis restringenda est.

39 Infertur tertid. *Vasq.* approbatus à  
D Tu-

*Turian. & Dian.* p. 5. t. 9. R. 56. non incurri  
pœnam impositanı, quando actus externus  
non est signum externum sub peculiari ra-  
tione malitiæ, propter quam imponitur  
censura e.g. si decenter intersis Missæ cum  
exteriori compositione, animō autem irri-  
dendl Missam, quem tamen animum nulla  
ratione externè proderes, &c. quia talis  
actus non est malus, nisi ex fine, & intentio-  
ne, quæ latet Ecclesiam de occultis non ju-  
dicantem.

### §. III.

*Ab Ecclesia non tantum specia-  
liter, sed etiam sub coñinatione  
censuræ prohibitum.*

40 **R**equiri specialem prohibitionem, do-  
cetur ferè ab omnibus, excepto  
*Cajetano apud Sanch. lib. 9. de Matrim. d. 32.  
n. 13.* etenim ex verbis Christi Domini apud  
*Matth. cap. 18. Quod si Ecclesiam non audierit,  
sit tibi sicut Ebnicus, & Publicanus.* colligi-  
tur, censuras institutas esse contra inobe-  
dientes, & contumaces Ecclesiæ. Hinc pro  
praxi infert Suarez l. 4. de censu. quod licet  
actus pccaminosus sit contra Jus naturale,  
aut Divinum, si tamen desit specialis ejus  
pro-

prohibitio Ecclesiæ, aut hæc invincibiliter ignoretur, non incurritur censura.

41 Pari consensu tenent DD. cum *Pal.* cit. n. 7. requiri *comminationem censuræ*: tum quod *Trident. Sess. 25. cap. 3.* prohibeat ferri *excommunicationem*, nisi tentatis prius alijs mitioribus medijs: & fieri potest, ut quis moveatur sola *comminatione censuræ*: tum quod censura ex dictis infligatur propter *absolutam*, & *ultimam contumaciam*, quæ exerceri nequit sine *prævia mentione pœnae*. Hinc pro peccato *purè* præterito in ejus punitionem non posse ferri censuram: tum quod non adsit *specialis ista contumacia*: tum quod *præteritum quæ tale mederi non possit*; censura autem sit *pœna medicinalis*.

42 Dices *primo*. *Pœna naturaliter* consequitur ad culpam, & est in ipsa culpa jam volita. *Secundo*. *Pœna infernalis* incurritur ab ignorante Ethnico. *Tertio*. *Quicunque transgreditur præceptum*, hoc ipso est inobediens.

43 Resp. *Ad primum*. *Pœnam medicinalem extraordinariam*, & à lege ad specialem finem institutam non consequi naturaliter, nisi esse volitam in culpa, & nisi specialiter sciatur. *Ad secundum* docent Theologi, *pœnam infernalem* saltem quoad *pœnam*

damni esse necessariam, & non extraordinariam. Ad tertium quilibet transgressor præcepti est inobediens inobedientia communis seu genericā, non autem specifica, & tali, quam explicuimus.

### §. IV.

*Hinc deducitur aliquam monitionem præmittendam esse etiam ad valorem Censuræ.*

44 **H**oc colligunt *Suar. Sot. Laym.* c. 52 n. 4. ex verbis *S. Pauli ad Titum cap. 3.* *Hæreticum hominem post unam, & alteram correptionem devita.* & apertè habetur c. *sacerdos de senten. Excom. & c. Romana eodem in 6.* Ratio sequitur ex dictis: tum quod censura quâ talis non feratur nisi in contumacēs: tum quod non feratur, nisi pro præveniendo, seu avertendo delictum futurum, vel propter pendenteī satisfactionem ex præterito peccato.

45 Dixi: *censura quâ talis:* notat enim *Pal. p. 5.* suspensionem, aut interdictum aliquando infligi non ut censuram, sed ut poenam, vel viadictam, quo casu non prærequirunt monitionem,

46 Dixi secundò : *aliquam monitionem*, non equidem semper canonicam illam trinam, seu unam pro trina (de qua *Avil. p. 2. cap. 5. diss. 1. du. 7.*) hanc enim non esse necessariam, dum *censura est sententia latæ*. quæ ipsò factō incurritur, tenet communis cum *Dian. p. 5. t. 9. R. 98.*: nam ipsa lex, aut præceptum Judicis sub tali comminatione latum continuò admonet; ut meritò censeatur contumax, qui illi obedire recusat, id quod maximè locum habet, dum quid fieri prohibetur sub censura; nam si aliquid fieri præcipitur, ordinariè requiritur monitio, ut legitimè constet, an fuerit pertinaciter in mora.

47 Hoc ipsum etiam de censura sententiæ ferendæ affirmant graves AA. apud *Bonacin. d. 1. q. 1. p. 9. n. 3.* Sed negativa est mitior, & verior. *Suar. Laym. Hurd. Pal. n. 7.* & apertè colligitur ex *cap. Reprehensibilis de Appell.* videlicet non esse ferendam censuram, nisi præmissâ canonica monitione: quia de ratione censuræ est, ut imponatur in delicti præservationem, seu emendationem, cum sit poena medicinalis: at verò si propter delictum factum posset imponi, jam non esset medicina, sed potius vindicta. Hinc magnum discriminem est inter easum priorem; nam excommunicatio sententia latæ non in-

fligitur à Jure & incursa à delinquentे : in excommunicatione verò sententia ferenda videndum est prius, an Reus sit contumax ; id quod apparere non potest, nisi præmissa monitione. Unde *Suar. Laym. & Pal.* notwithstanding, delictum , quod tractum successivum non habet, nec relinquit obligationem satisfaciendi e. g. blasphemiam , non posse tam facile prohiberi cum comminatione censuræ ferendæ.

48 Denique canonica hæc monitio exigitur multo magis , dum à Prælato fertur per modum Judicij , prout cum *Vasq.* docet *Suar. d 3. sect. 10.* nihil enim distinguit cap. *reprehensibilis de Apell.* dum ait ; nec Prælati , ( nisi canonica monitione præmissa ) suspensionis , vel excommunicationis sententiam ferant in subiectos , nisi forte talis sit culpa , quæ ipso suo genere ( addit Glos. ex se, seu ipsò factō ) suspensionis , vel excommunicationis poenam inducat. Cum ergo exceptio firmet regulam in alijs , rectè inferimus , ad omnem aliam censuram , quæ ipsò factō non incurritur , necessariam esse monitionem canonicam , & reddit ratio haec tenus adducta.



# Controversia quarta.

DE

## Causis excusantibus à Censura.

### §. I.

*A Censura incurrenda excusat defectus potestatis ex parte ferentis, quæ etiam per legitimam appellationem suspendi potest.*

49 **P**otestas ferentis deficit, si vel jurisditione simpliciter careat, vel impediat habeat per censuram, vel suspensam per legitimam appellationem, de qua agimus: hujus enim ea vis est, ut causam à Judice, à quo appellatum est, eximat, & ad illius superiorum devolvat, sicque impedit censuram *cap. à Judice*. *De Appell.* Ipso autem Jure irrita est quælibet sententia, quæ fertur post talem appellationem *Navar. in cap. cum contingat. De Rescriptis.*

50 Ut autem hunc effectum sortiatur appellatio, interponi debet sive verbis, sive factō ante tempus statutum censuræ incurrandæ: si enim post censuram validè latam interponatur, non suspenditur effectus cen-

suræ: quia excommunicatio, & quævis alia censura executionem secum trahit, ut communiter tradunt DD. cum *Pal. p. 8. n. 4. cap. 13. cui. de sent. Excom. in 6.*

§ I Requiritur secundò, ut sit legitima, id est, ex rationabili causa facta; alias tanquam inanis, & frivola non excusabit à censura nisi forte Judex eam voluntariè admittat. Quodsi appellans censeat legitimam ex fundamento probabili, excusabitur in foro conscientiæ à censura, & ab irregularitate, quamquam Judex appellationem rejiciat tamquam frivolam *Laym. c. 6. n. 2.*

## §. II.

*Deinde excusat innocentia ejus, in quem profertur, hinc probabilius videtur, illum qui propter culpam in re non existentem juridicè tamen probatam censura feritur, in conscientia non obligari, quin neque directè ex vi censuræ debere gerere se in publico ut censura irretitum; secùs ex præcepto, & obligatione Juris naturalis.*

52 Si causa nec re ipsâ, nec secundum allegationes subsistat, indubium est, censuram esse nullam, item quamquam causa subsistat re ipsa, at non secundum publicam notitiam Judicij, recte docet *Nauar.* habendam esse censuram pro nulla, quamquam Judex privatâ sua notitiâ sciat crimen occultum; judicare enim debet in re tam odiosa ex notitia publica, & tamquam persona publica.

53 At lis est inter DD. an ligeris e. g. excommunicatione lata propter crimen, quod quidem nunquam commisisti, juricidè tamen convictus es illius?

54 Affirmant in utróque foro te ligari nonnulli apud *Pal.* p. 8. n. 13. moventur primum: quia *Canon non solum* c. xi. q. 3. ibi: *Sententia Pastoris seu justa, seu injusta sit, gregi timenda est.* Secundo: quia Judex procedens juxta allegata, & probata justè procedit. Tertio: quia propter bonum publicum potest Ecclesia suis bonis privare subditum etiam innocentem. Quartò superiori juri dicè præcipienti tenemur obedire etiam in conscientia.

55 Alij ècontra negant te innocentem ligari ullâ censurâ pro foro interno, secus pro foro externo, ita ut vi præcepti, & censuræ latæ te genere debeas in facie Ecclesiæ tamquam censuratum: justo enim Judicis

præcepto teneris obedire, saltem quantum  
præcisè necessarium est ad publicam disciplinam, & Judicis autoritatem tuendam,  
cum *Swar. Laym. c. 6. n. 3.* quibus quidem ad  
effectum assentitur. *Pal. à n. 14.* dissentit ta-  
men quoad causam directè obligantem,  
cum quo

56 Dico primò. Taliter censuratum nec  
in foro interno, nec in facie Ecclesiæ obliga-  
ri directè ex vi præcepti, & censuræ abstine-  
re ab illis actibus, qui per censuram prohi-  
bentur. Ratio; quia censura illa nulla est;  
tum quod falsa præsumptione nitatur; quod  
autem nullum est, nullum præstat impedimen-  
tum; tum quod apparenti tantum cen-  
suræ non competit illi effectus, qui deben-  
tur veræ: tum quod durum valde sit, cre-  
dere Ecclesiam velle obligare innocentem  
ad tam graves pœnas sine omni sua culpa  
ponendas.

57 Dico tamen secundò. Obligari cum  
in foro externo ad obediendum sententiæ  
Judicis directè ex vi, & obligatione præcepti  
naturalis, ne nimis videatur Ecclesiam  
contemnere, ne scandalum præbeat, &c.  
quaæ tamen obligatio non oritur ex præce-  
pto, aut censura Judicis immediatè; quia  
non potest esse præceptum, quod præcipit  
injustum, & irrationabile,

58 Hinc respondeo ad *primum*, *ly timere* sententiam non indicat obligationem in conscientia, sed solum prohibet, ne superbè contemnatur. Ad *secundum*: non sufficit ad justitiam, ut ut servetur Ordo Juris, sed requiritur, ut præcipiatur etiam tale quid, quod justum est: reliquæ objectiones solvuntur ex ratione conclusionum,

## *Corollaria practica.*

59 Hinc pro praxi sequitur *primò*. Ob talē censuram te non esse privatū communionē fidelium, néque Ecclesiæ suffragijs, nec incapacem esse beneficij recipiendi, néque celebrantem fore irregularem. *Suar. d. 4. Sect. 7. n. 20.* Si tamen in foro externo declaretur collatio beneficij irrita, tenebit quoad effectum, & privatus eris beneficio non quidem vi censuræ, sed ob comune Ecclesiæ bonum, ne prædictum beneficium alteri invalidè conferatur. *Ad dit Laym. n. 3.* si talis cum scandalo, & apparente contemptu Ecclesiasticæ potestatis celebret, & monitus desistere nolit, tunc de novo verè esse excommunicandum propter contumaciam.

60 Sequitur *secundò*. Si post contracta sponsalia de futuro contrahas impedimentum

tum occultum affinitatis, & per censuras cogaris publicè contrahere de præsenti, debbis quidem cohabitare, & publice gerere tamquam maritum, reddere tamen, aut petere debitum conjugale omnino non poteris, etiam si propter negationem reddendi deberes excommunicari.

### §. III.

*Excusat præterea vis, seu coactio, nec non metus gravis; quamquam ubi actio per censuram prohibita redditur intrinsecè mala ratione talis prohibitionis, accircumstantiae non excusabit metus à censura; uti néque tunc, ubi actio est contra legem Ecclesiasticam irritantem, aut contra naturalem.*

61 PER vim, aut coactionem, quæ secundum Aristotelem 3. Ethic. cap. 1. est, Quod proveniat ab extrinseco nullam vim conferente passo, Excusari semper à censura, docet communis cum Suar. d. 6. Sect.

Sect. 3. Simpliciter enim tollit voluntarium, ideoque etiam culpam, & poenam in culpa fundatam, non sic metus gravis: hic enim relinquit voluntarium simpliciter, ideoque culpam non aufert, quamquam attenuet: unde non habet semper vim, ut a censura excusat: quâ ratione explicant DD. *Capitulum cum sacris. De his quae vi, &c.* Quia tamen regulariter metus, & periculum gravis damni a transgressione præceptorum humanorum excusat, hinc sequitur, toties etiam excusaturum a poena, quoties a culpa. Sic ferè Theologi cum *Tamb. L. 1. De cal. c. 2. §. 9. n. 7.*

62 Ab hoc tamen excipiendum est, si vel ratione talis prohibitionis, vel ratione alterius circumstantiae redderetur actio mala intrinsecè: cum enim metus non excusat ab obligatione, quâ teneris mortem etiam ipsam potius tollerare, quam consentire in intrinsecè malum, pariter non excusabit a censura annexa.

## *Corollaria practica*

63 **H**inc pro praxi primo: Si Sacerdos excommunicatus non tolleratus congeretur metu mortis confessiones audire, & absolvere, idque præsumperet, non excu-

faretur à culpa: invalide enim administrare Sacramentum est intrinsecè malum.

64 Secundò. Si e. g. in contemptum ipsius legis, & potestatis Ecclesiastice cogebetur per metum mortis comedere carnes die sabbati, aut communicare cum excommunicato, &c. Per talem metum nec à culpa, nec à poena Ecclesiastica excusaretur, quia actio in his circumstantijs posita opponitur Juri Divino naturali, cuius deformitatem nec metus potest tollere, néque etiam solvere obligationem legis ipsius Ecclesiastice, alligamur enim, ut non obstante quovis privato incommodo bonum publicum fidei, aut religionis, aut sacramenti reverentiam, & honorem defendamus Laym. cap. 5. in fine.

65 Excipiendum est secundò. cum Suar. l. 3. de Leg. c. 30. n. 13. quandò actio fit contra legem irritantem, vel annulantem actum: quia hæ leges tamquam ad bonum totius Ecclesiae immediatè directæ versantur circa talia objecta, ut exceptio particularis propter metum privati mali esset damnosa, & periculosa bono communi intento: secus leges directivæ, quæ ad privatam subditi utilitatem ordinantur: hinc matrimonium cum consanguineo initum manet irritum etiamsi ejus valor esset necessarius ad mortem

tem evitandam per consummationem copulae, quare ea lex obligat etiam urgente gravi metu: ut proinde talis metus nec a culpa, nec a censura excusat.

66 At quid si Ecclesia sub censura prohibeat, quod alias Jure naturali prohibitum est, E. g. furtum, homicidium excusabitne metus a censura? Resp. cum *Swar.* & *Pal.* p. 8. n. 11. Si præceptum Ecclesiasticum addat præcepto naturali aliquam circumstantiam extrinsecam, cui censuram annexetur e. g. Excommunicationem, si fiat furtum in loco sacro, &c. excusaberis quidem a censura, si gravi metu fueris addactus ad committendum furtum in templo, non tamen a peccato furti, non enim censendus es delinquerre contra præceptum Ecclesiasticum, sed solum contra naturalem: eò quod Ecclesia suavis suo gubernio non intendat obligare cum tanto damno. Econtra si præceptum Ecclesiasticum idem prohibeat quod naturale, nullo metu excusaberis: cum ex illo præcepto non adstringaris ad aliquid peragendum, vel ommittendum, quod secluso omni præcepto peragi, vel ommitti non debet.

67 Ex quibus regula universalis datur: tunc excusare metum gravem a censura, quando obligatio servandi legem Ecclesiasticam

sticam oritur ex puro Jure humano legis: quo casu censetur Legislator remittere obligationem legis: quando autem Lex Ecclesiastica annexens censuram conjungitur cum obligatione legis Divinæ, aut naturalis per metum gravis damni, non excusare metum à culpa, nec à censura. *Illiung. de ten. t. 7. d. 1. q. 1. art. 3. n. 134.*

#### §. IV.

*Excusat denique ignorantia, quæ crassa, aut supina non fuerit, item naturalis oblivio censuræ, aut ejus invincibilis inadvertentia; quin persatis probabitem sententiam excusat etiam ignorantia affectata, & crassa, si censura lata fuerit contra eum, qui scienter aliquid fecerit, vel ausus temerario præsumpscerit.*

68 **D**octores, qui pro excusante ignorantia quantumcunque vincibili (exceptâ crassâ, & supinâ) stant *Turian. Sanch. de Matria. L. 9. d. 32. n. 31. Dian.*

p. 5. t. 9. R. 17. probant per *Capitulum*, cum  
animatorum. de *Constitut.* in 6. ibi : ut anima-  
rum periculis obvietur, sententijs per statuta  
quorumcunque *Ordinariorum* ( sub quibus  
etiam statuta Pontificia propter identitatem  
rationis intelligunt *Silvest.* *Sanch.* *Pal.* n. 7.)  
*prolati ligari nolumus ignorantes* : dum ta-  
men eorum ignorantia crassa non fuerit,  
aut supina.

69 Ignorantia porrò culpabilis, seu vin-  
cibilis est, ignorare ea, quæ homines ali-  
quam salutis suæ curam habentes sciunt  
communiter ; ad crassam verò & supinam  
requiritur ignorare, quod omnes ferè sciunt,  
ita ut ea procedat ex nimia negligentia, &  
culpa lata, vel latissima : aut ut *Pirching de-*  
*sent.* *Excomuni.* crassa, aut supina est quam  
quis facilè, & sine negotio posset depone-  
re, nec ullam quamvis levem diligentiam  
curat adhibere, adeoque ea ex summa ne-  
gligentia cognoscendi oritur.

70 Hac itaque ignorantia exceptâ do-  
cent laudati DD. omnem aliam quantum-  
cunque culpabilem excusare ab incurso cen-  
suræ. Negat è contra *Suarez* eò quod nulla  
reperiatur in jure mortaliter culpabilis igno-  
rantia, nisi crassa, aut supina: atqui hæc non  
excusat: ergo nec illa. Ratio autem pri-  
mæ favorabilis sententiæ est: quia censuræ

feruntur propter contumaciam, & saltem virtualem, contemptum Ecclesiæ cap. de Except. i. in 6. Ignorans autem non est contumax, non enim contemnit disciplinam, qui ignoravit L. si ignorans so. ff. Locati.

## Corollaria practica.

71 **H**inc infertur primo. Excusari per ignorantiam Juris, seu per eam, quâ nescitur lex, præceptum, aut prohibitio: nam cit. cap. non distinguit inter ignorantiam Juris, vel facti, habetque locum tum identitas rationis, tum defectus contumaciæ.

72 Infertur. Secundo. Excusari per ignorantiam facti, quâ scilicet ignoratur factum alias prohibitum in lege cognita: hinc non incurrit censuram, qui aut nescit percussionem Clerici esse prohibitam sub pœna excommunicationis, aut licet eam prohibitio nem noverit, ignorat tamen hunc esse Clericum, quem percutit. Layns. c. 5. n. 7. extendens etiam ad ignorantiam concomitantem e. g. si Rusticus cædens Clericum, quem nescit esse Clericum, ita sit paratus animo, ut cæderet, etiamsi sciret esse Clericum: censura enim Ecclesiastica per externam mandati transgressionem contumacem incurrit, non propter habitualem, vel actualiem pravi


pravi animi dispositionem. Nec obstat huic doctrinæ regula 13. de Reg. J. in 6. Ignorantia facti non Juris excusat: hæc enim vel procedit de foro externo, in quo non facilè præsumitur Juris ignorantia, vel si de foro interno; loquitur solum de ignorantia crassa, aut tali, quæ non excusat à culpa.

73 Infertur tertio. Excusari etiam per oblivionem naturalem, aut invincibilem inadvertentiam præcepti, vel pœnæ Sanch. t. 1. in summa L. 4. c. 22. n. 18. hæc enim æquiparantur ignorantiae invincibili, & varijs casibus confirmari potest: si qui vovit non luderet sub pœna 100. aureorum, si postmodum ludat imemor voti, non tenetur solvere pœnam: item qui per naturalem oblivionem omittit Breviarium, non obligatur ad restitutionem fructuum:

74 At major difficultas est, an, dum censura ponitur contra scienter facientes, excusat, ignorantia affectata, seu illa, quæ quis directe, & studiosè omittit inquirere in notitiam, ut liberius fortè peccare possit. Probabilior mihi est negativa quidem sententia cum Sanch. Sar. Molin. Laym. c. 5. n. 8. tum quod talis ignorantia nihil minuat de voluntario, & consequenter nihil de culpa; tum quod æquiparetur scientiæ.

75 Affirmativa tamen satis probabilis videtur, quam tuetur *Sanch.* in *summa*. *to. 1. l. 12. c. 10n. 38.* explicans se contra id, quod antea docuerat *L. 7. de Matrim. d. 32. n. 40.* & plures apud *Dian. p. 3. t. 6. R. 7.* quia verba legis pœnalis non sunt extendenda ultra proprium significativum: per verbum autem scienter, usu temerario, præsumperit videtur superior exigere certam, & expressam scientiam ac temeritatem, præsumptionem, vel gravem contemptum, quorum nihil habet peccans ex ignorantia affectata, hoc ipsum propugnat *Bonacini. in Bullam Cœna. t. 3. d. 1. q. 2. p. 4. n. 9.*

76 Quæres. An debeas te reputare censuratum, quandò hujus dubius es? Resp. cum *Sanch. l. 1. in Decal. c. 10. n. 56.* stante dubio Juris, vel facti, quod post debitam diligentiam vinci nequit, non teneris te reputare censuratum. Ratio: tum quod in hoc dubio tibi non sit satis promulgata censura: tum quod ratione baptisini, Jus certum habebas fruendi communibus Ecclesiæ bonis, qua possessione per tale dubium privari non potes.



Con-

# Controversia quinta.

## De absolutione a Censuris.

### §. I.

**Resp.** *Censura semel incursa non tollitur, aut removetur nisi per absolutionem.*

77 Hanc conclusionem ab Alexandro VII. extra dubium positam per prohibitionem oppositæ sententiae 44. inter quadraginta quinque proscriptas dudum velut certum propugnavit *Pal. d. 1. p. 11. §. 1.* in fine: & colligitur ex cap. qua fronte cap. cum desideres de sent. Excom. tum quod eadem potestate solvi quis debeat, quâ ligatus est: tum quod visibilis contumacia debeat visibili satisfactione ablui: tum quod alias absolutione Ecclesiastica semper foret inutilis in foro interno, cum nunquam conferatur ante resipiscientiam delinquentis. Quare licet feratur e. g. sub hac conditione: *donec restituas*: facta tamen restitutione non eo ipso tollitur censura; sensus enim est, quod non erit absolvendus, nisi post factam restitutionem; non quod facta restitutione absolvatur hoc ipso.

78 Alij tamen cum *Vasq.* & *Conninch.* censent, si censura feratur ad certum tempus, donec intra illud latisfaciat, contineri implicite absolutionem collatam pro tempore satisfactionis actualiter præstitæ. Alij negant, esse censuram propriè talem, sed puram pœnam vindicativam, videri potest *Dom. Viva* in cit. propositione mīhi pagina 133.

### *Corollaria practica.*

79 **H**inc sequitur *primo.* censuram non desinere ob mortem ferentis: quia licet ab eo pendeat in fieri, non tamen pendet amplius in conservari.

80 *Secundò.* Nec cessare perfectè per mortem censurati, ut patet ex praxi Ecclesiæ, quæ etiam mortuos absolvit à censura: ligat enim delinquentem, simul, & segregat fideles à communione cum illo.

81 *Tertio.* Nec per solam satisfactionem parti laesæ præstitam, & emendationē internam delinquens: & quamquam cum communiori doceat *Suarez.* d. 3. sc̄t. 6. n. 8. excusari te posse à censura incurrienda ex consensu illius in cuius favorem lata fuit e. g. ab excommunicatione, nisi intra triduum *Titio* creditor i satisfacias, dum Titius tibi terminum prorogat, eò quod talis censura hunc

hunc sensum habeat : volo ut intra triduum  
 Titio debitum solvas ; si minus ligaris cen-  
 surā, nisi Titius tibi vel absolutē, vel ad tem-  
 pus remittat debitū: nihilominus si transactō  
 per Titium etiam ampliatō terminō non sol-  
 vas, incurres censuram , & absolutione in-  
 digebis, nam designatio solutionis pro certo  
 tempore non fuit data à Judice ad finien-  
 dam obligationem solvendi , sed ne ultra  
 id tempus absque consensu creditoris Titij  
 prorogaretur. *Pal. p. 8. n. 6.*

## § II.

*Quam, si censura fuerit ab ho-  
 mine specialiter lata, potest con-  
 ferre is, qui tulit, nisi ei fuerit spe-  
 cialiter interdictum , item ejus  
 successor, superior, vel delegatus ;  
 nec alius.*

82 **C**ensura ab homine *specialiter lata* ( de  
 quanunc loquimur ) est, quæ fertur  
 a Prælato in Reum nominatiu citatum, &  
 per sententiam censuratum ; lata verò ab  
 homine *generaliter* pronuntiatur per sen-  
 tentiam generalem nullà præmissa speciali  
 citatione Rei habéatque se per modum sta-  
 tuti, aut legis.

83 Et pro prima, seu specialiter lata potest  
absolutionem conferre *primo* Author, qui  
eam tulit *C. Pastoralis de off. ord.* habet enim  
potestatem solvendi in salutem animarum,  
prout habet ligandi: nec refert, quod Reus  
aut domiciliū mutaverit, aut appellaverit;  
ratio primi est; quia mutatione domiciliū  
non potest subterfugere jurisdictionem Ju-  
dicis ferentis censuram, ratio secundi est;  
quia appellatio juvat potius absolutionem à  
censura, nisi forte eam tulerit Judex dele-  
gatus: hic enim per interpositam appella-  
tionem, & semel admissam statim privatur  
omni jurisdictione; non sic Judex ordina-  
rius, cui post admissam etiam appellationem  
stat integrā potestas ad absolvendum. *Sairus.*  
*I. 2. thesauri. c. 20.*

84 Dixi: nisi fuerit *specialiter interdictum*:  
plures enim casus reperiuntur, in quibus au-  
thor non potest etiam à censura à seipso lata  
absolvere excommunicatum e. g. si author  
incidat in excommunicationem denuncia-  
tam, vel si sit privatus jurisdictione: videri  
potest *Layman. cap. 7.*

85 *Secundò*, potest absolvere successor  
ferentis in munere, & dignitate, censetur  
nämque eadem persona cum antecessore,  
id quod procedit etiam in successore Judicis  
delegati, item in Capitulo sede vacante per  
ejus Vicarium: communis cuin *Pal. n. 5.*

86 *Tertiò absolvere potest ferentis superior cum pleno Jure, quo dum utitur, nullam irrogat ferenti injuriam.* Ne tamen huius authoritas contemnatur, moneat prius inferiorem Prælatum, & simulâ Reo satisfactionem exigat. *Dixi : pleno Jure superior, dantur enim superiores, sed non absolutè & in omnibus casibus ; sic Archi-Eписcopus relatè ad suos suffraganeos non potest pro libitu absolvere à censuris Inferiorum : nisi vel tempore visitationis cap. cum ex. de præscript. vel causâ per appellationem adipsum devolutâ cap. venerabilib[us] de sent. Excom. idem tradunt DD. de Patriarchis respectu Archi-Epis coporum, quin imò etiam de Legato à latere. Layman. c. 7. n. 2.*

87 *Quarto absolvere potest delegatus, videlicet cum cognitione causæ : notat quippe cit. Laym. quod si Ordinarius alicui mandet, ut certum hominem excommunicet sine alia commissione causæ, non possit deinde eum ex eo absolvere, sic enim non est aliud, quam purus executor habens nudum ministerium.*

88 *Quinto denique : nullum alium posse conferre absolutionem à censura sic explicata, probat Sair. c. 20. à n. 1. quiscunque enim, aliis intromitteret se in jurisdictionem Judicis ferentis, ejusque judicium perturbaret,*

quod magnam confusionem in Ecclesiam DEI induceret. Addit tamen *Laym.* quod si Reus procul distet ab auctore censuræ, quem propter justum impedimentum adire non posset, possit à Judice æquali, vel ab inferiore absolvi præstítō juramentō, quod, quam primum poterit, se præsentabit débito Superiori: colligitur ex cap. *quamvis de descent. excom.*

### S. III.

*Si verò censura fuerit ab homine lata generaliter, potest absolvere is, cui vel Jure ordinario, vel ex privilegio concessum est absolvere à censuris Jure, seu statuto impositis.*

**H**Aec sententiam vocat probabiliorē, & in præstitutam *Laym. cap. 7. n. 3.* & pluribus relatis approbat *Pal. n. 10.* ratio; quia talis censura non continet propriè sententiam Judicis, quam aliis non posset rescindere sine violatione jurisdictionis, sed habet se per modum statuti, & sicut sententia lata à jure, quæ in hac parte æquiparantur, & potens ab hac absolvere, poterit etiam ab illa.

# Corollaria practica

90 **H**inc pro praxi ex hucisque dictis: si Titius v. g. à Celsissimo Æmonensi seu Labacensi specialiter & ritè excommunicatus, mutet domicilium, non poterit ab alio Episcopo absolutionem consequi: Celsissimus enim Æmonensis propter causam in judicio suo cæptam, & nondum absolutam adhuc retinet Jus in excommunicatum: per regulam in cap. proposuisti. De foro compet. preventus à Judice forum ipsius in ea causa declinare non potest. Econtra vero si Titius in Dicæcesi Æmonensi contraxerit excommunicationem latam generaliter, aut de jure, ut postea in Aquileensem transferat domicilium, poterit is ab Ordinario Aquileensi, aut etiam à Parocho absolvi, si in sua Dicæcesi talis excommunicatio reservata non sit: videri potest cit. Laym. Hucusque de censura ab homine lata; nunc de lata à Jure.

## §. IV.

*At in censuram à Jure latam habet potestatem etiam Parochus, aliisue Sacerdos: habet satis recepta sententia.*

91 **P**ro hac *Barbos.* p. 3. *De Offi. Epif.* al-  
leg. 50. n. 283. adducit decem Do-  
ctores, plures addit *Pal.* n. 3. quæ quidem  
potestas illis confertur ex tacita delegatio-  
ne Juris per regulam c. nuper. de sent. Ex-  
com; quia Juris conditor specialiter absolu-  
tionem sibi non reservavit, eō ipso alijs vi-  
detur facultatem concessisse relaxandi: quin  
addunt *Hugolinus.* p. 19. §. 5. *Suar.* d. 3. Sect. 3;  
hanc potestatem à Parocho delegari posse,  
& non tantum pro foro interno, sed etiam  
externo concessam esse: tum quod decre-  
ta Pontificia præcipue forum externum  
spectare soleant: tum quod nulla causa ad-  
sit hic favores Principis restringendi,

### §. V

*Secūs si censura sit reservata  
summo Pontifici, aut ab Epif-  
copo.*

92 **R**atio patet ex dictis: & dudu decre-  
tum fuit sub Clemente VIII. die 26.  
Novembris anno 1602. & ab alijs successivè  
Pontificibus. Dantur tamen casus, in qui-  
bus Conditor Canonis potestatem absol-  
vendi concedit, de quibus *Pal.* cit. n. 5. Epif-  
copis præterea per Tridentinum Sess. 24. c. 6.

con-

conceditur facultas absolvendi ab omnibus censuris, & poenit Sedi Apostolicæ reservatis, modò non fuerint publicæ, néque ad forum contentiosum deductæ, exceptis casibus contentis in Bulla Cœna, & hæresi etiam occulta.

93 Regularibus post Bullam Urbani VIII. manet facultas absolvendi à casibus Papalibus occultis, exceptis Bullæ Cœnæ, & hæresi externa quacunque, & intra Italiam sex alijs reservatis à Clemente VIII. nempe: percussione Clerici, Duello, violatione linavitatis Ecclesiæ, & Clausuræ Monialium, Simonia reali, & confidentiali beneficiali *Viva.* in propositionem 12. Ab Alexandro VII. quo ad subditos verò suos possunt Praelati Regulares teste *Suar. t. 4. de Relig. l. 2. c. 15.* Jure ordinario tamquam Pastores ex vi sui muneris absolvere ab omnibus illis culpis, censuris, ac poenit Ecclesiasticis, nec non dispensare in ijs omnibus, in quibus possunt Episcopi cum subditis suis.

94 His addendum est primò, quod cum pluribus DD. probat *Conninch. d. 14. n. 240.* posse ab Episcopis (addit *Pal. n. 6.* etiam à Sacerdote proprio) absolvi quoslibet impeditos impedimento diuturno, de quo *Dian. p. 11. t. 8. R. 1.* adire summum Pontificem cum onere tamen coimplicandi coram

authore Censuræ cessante impedimento ; alias in eandem censuram incident per Cap. eos qui. *De Sent. Excom.*

95 Secundò Tridentinum Ses. 14. c. 7. concedit pro articulo mortis ( sub quo communiter DD. apud Barbos. p. 2. alleg. 25. n. 81. intelligunt quodlibet probabile periculum mortis ) omnibus Sacerdotibus etiam de gradatis, excommunicatis, aut hereticis ; dumodo non adsit subversionis periculum ( prout hoc extendunt cit DD. apud Barbos. n. 79. ) facultatem absolvendi ab omni censura sive Juris, sive hominis, præstito prius juramento, quod quam primum posset se præsentabit ei , à quo de Jure absolvendus erat.

96 Hunc favorem Tridentini ampliant quindecim DD. apud cit Barbos. etiam ad sacerdotem simplicem , quanquam præsens simul adesset sacerdos proprius, vel superior, de quo videri potest *Dian.* idem confirmans p. 1. t. 5. R. 6. Itaque si absolutus à censura, aut ab alijs peccatis reservatis, tenetur se quidem fistere, si convalescat; coram authore censuræ ; non tamen quo ad casus reservatos eorum reservante.

97 Cœterum si nullus omnino Sacerdos adesset, propugnant non pauci DD. quorum sententiam *Dian.* cum alijs vocat probabilitem

lēm p. 3. t. 4. R. 102. posse morientem absolvī ab excommunicatione per Laicum, sed communi sententiæ adhæreo, quæ eam potestatem negat Laico defectu jurisdictionis, quippè quam Tridentinum locō citatō solis Sacerdotibus concedit. Hæc de censuris in communi.

# CELEBRIORES CONTROVERSIÆ CANONICO- THEOLOGICÆ

<sup>DE</sup>  
**Censuris in Particulari.**

*Corollarium præmiale.*

**D**e excommunicatione in genere.

**E**X causa finali primarius excommunicationis scopus est honor, & DEI gloria, quæ ut conservetur, & ne Sanctum Nomen Ejus blasphemetur ab infidelibus, videntibus teterima Christia-

Istianorum Crimina impunè grassari , ex-  
communicatione opus est, quâ Ejus gloria,  
& Nominis Divini Majestas promoveri, con-  
servari , & ab omni blasphemia præservari  
debet, hinc *can. XVI. q. 2. can. viii.* appel-  
latur Episcopi mero.

2 Secundarius multiplex est primò Disci-  
plina Ecclesiastica , cuius æqua , & medici-  
nali severitate cæteri fideles à criminibus  
deterrentur : unde *excommunicationis gla-*  
*dius*, à concilio Tridentino Sef. 25. de Refor.  
c. 3. vocatur *nervus Ecclesiasticae Disciplinae* &  
à D. Augustino Lib. de fide , & oper. cap. 3. mi-  
sericors severitas. Secundò præservatio , sa-  
lus, & custodia aliorum, ne contagione mor-  
bi inficiantur , nam modicum fermentum to-  
tam massam corruptit. ad Corint. 5. Tertio  
Salus excommunicatorum , ut resipiscant:  
& hinc excommunicatio à Sacris Canoni-  
bus appellatur *medicinalis* : nec est inconve-  
niens ( ait S. Thomas. 4. d. 18. q. 2. art. 1. ) Si  
ille , qui non est desperatus hosti datur , quia non  
datur ei quasi damnandus , sed quasi corrigendus ; cum in potestate Ecclesiæ sit ex ejus manu  
ipsum eripere , cum volverit. Et q. 3. art. 3.  
maledictio quandoque est salutifera , cum  
malum, quodquis maledicendo imprecatur,  
ad bonum illius ordinat , qui maledicitur ,  
sicut & medicus aliquod nocumentum in-  
fert

Sert infirmo, ut Sectionem, per quod ab infirmitate liberetur.

3. Causa efficiens excommunicationis est ipsa potestas excommunicandi in Ecclesia DEI militante principaliter, ac velut radicaliter residet in summo Pontifice: dein ex vi officij, & potestatis clavium sibi communicatæ reperitur in Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, Primatibus, erga suos respectivè subditos: item in Concilijs Generalibus autoritate Papæ, & Provincialibus autoritate Archiepiscoporum congregatis: item in Capitulo Sede vacante, & Vicario Capituli Sede vacante electo juxta formam, & præscriptum Concilij Tridentini *Ses. 24. c. 16. de Reform.* Item Legati summi interris Pastoris in territorijs suæ legationis.

4. Tandem Generales, Vicarij Generales, Provinciales Ordinum à Sede Apostolica approbatorum: Abbates. De Guardianis, Prioribus, &c. Conventuum quidam cum *Portello. V. Abbas* affirmant; alij probabilius cum *Hieronymo Lamas.* in *Summa, cap. 9. n. 17.* negant, quibus adhaeret doctrinæ. *Petrus Marchant.* *T. 4. tit. 1. q. 4. n. 4.* ejus ratio est; quia superiores locales habent quidem jure ordinario potestatem coercitivam, at valde ligatam: & quamvis sint Prælati, non sunt tamen Prælati majores ex ijs, qui

quasi Episcopalem potestatem in suos fortiuntur: & communiter, ac benè æquiparantur Parochis, hi autem propria auctoritate excommunicationem ferre prohibentur, ut triti Juris est; ergo etiam superiores locales: unde si aliquando excommunicant, vel ut declaratores, & promulgatores, vel ut subdelegati excommunicant.

5 Causa materialis est peccatum personale iuxta dicta supra de Censuris in genere *Controver. 3. §. 1.* recolantur ibi. Formalis tandem est separatio facta auctoritate Ecclesiasticâ à communione fidelium.

## Controversia inter jacens

### *De Definitione, Divisione Excommunicationis, & Matu- ritate, quā ferri debeat.*

6 **E**Xcommunication explicata à Doctore Subtili Scoto 4. d. 18. q. un. " est medi-  
cinalis exclusio alicujus à communione  
fidelium constituentium Corpus Christi  
mysticum: ac nihil ( ait S. Aug. Tract. 27. in  
cap. 6. Joan. ) " Sic debet formidare Christa-  
nus, quam separari à Christi Corpore, si  
" enim

"enim separatur à Corpore Christi , non est  
"membrum Ejus, si non est membrum Ejus,  
"non vegetatur Spiritu Ejus , quisquis au-  
"tem , inquit Apostolus , Spiritum Christi  
non habet , hic non est Ejus.

7 Dividitur in *Majorem*, & *Minorem*. Ex-  
communicato minor "Est censura spiri-  
"tualis medicinalis , qua quis à participatio-  
"ne tantum sacramentorum excluditur :  
atque idem elicitur manifestè ex *cap. si cele-*  
*brat. De Clerico Excommunicato.* Nam in eo capi-  
tulo ponuntur quinque particulae , ex quibus  
integra excommunicationis minoris natu-  
ra declaratur : *Prima* est , celebrans minori  
excommunicatione vinculatus peccat mor-  
taliter : *Secunda* nullam tamen incurrit ir-  
regularitatem : *Tertia* non prohibetur eli-  
gere , nec ea exercere , quæ ratione jurisdic-  
tionis ei competunt : *Quarta* peccat con-  
ferendo Ecclesiastica Sacra menta , sed ab eo  
collata non carent effectu virtutis suæ :  
*Quinta* prohibetur à participatione passiva  
sacramentorum. Ex his particulis *quinta*  
duntaxat continet proprium , & substantia-  
lem effectum , imò essentiam Excommuni-  
cationis minoris : unde hæc solùm ponitur  
in *cap. penultimo de sententi. Excom.* & pro-  
inde illa solùm in definitione ponitur : cæte-  
ræ explicant quosdam ejus effectus , qui ex

ea consequuntur. De hac excommunicatiōne fusius infra *Controvers. ult.*

8 Excommunicatio major est " censura  
" spirituialis medicinalis, qua quis à commu-  
" nicatione orationis, & conventus, & om-  
" nis Sancti commercij relegatur: hæc alio  
nomine vocatur à Patribus *Abstentio* præci-  
puè à S. Cypriano *Tract. de Oratione Dominica*:  
" timendum est, & orandum, ne dum quis  
" abstentus separatur à Christi Corpore,  
" procul remaneat à salute.

9 Major ista excommunicatio alio etiam  
nomine *Anathema* appellatur, quæ quidem  
vox ambigua est, & in bonam æquè, ac ma-  
lam partem trahitur, ut observat S. Chry-  
stost. *Homil. 1. in Iса.* & *Homil. de Anathemate*:  
quandoque enim id significat, quod certo  
loco appensum, & ex voto DEO oblatum,  
vel in ejus templo dedicatum, est; quandoque  
vero, quod à DEO sejunctum est per  
impietatem, quod sacræ scripturæ com-  
plura exempla testantur: unde hujus vocis  
significationem in præsenti materia addu-  
ctus Sanctus Chrysostomus explicat *Hom. 16.*  
*in Epist. ad Rom.* tractans illum Apostoli lo-  
cum, " optabam ego ipse anathema esse  
" pro fratribus meis, & inquit: " Quid igi-  
" tur est anathema, audi ipsum ita loquen-  
" tem, si quis non amat Dominum nostrum

" JESUM Christum is anathema sit : hoc  
 " est, ab omniū commercio segregetur, alien-  
 " nus ab omnibus sit: nam quemadmodum  
 " anathema donū inque id quod DEO obla-  
 " tum dedicatur, nemo est , qui temerè  
 " manibus contingere audeat , neque ad id  
 " propius accedere, sic , & eum , qui ab Ee-  
 " clesia separatur ab omnibus abscondens, ac  
 " tamquam longissime abducens , hoc no-  
 " mine à contrario appellat. In re ergo idem  
 sonat excommunicatio major , ac anathema.  
 Voci *anathema* additur *Marantha* imitatione  
 Apostoli ad Corinthios scribentis : *Si quis*  
*non amat Dominum nostrum JESUM Christum,*  
*fit anathema Marantha*, estque vox Syriaca  
 Divini Judicij contestationem exprimens, si-  
 gnificat nāmque *Dominus noster venit.*

10 Porrò quamvis anathema, & excom-  
 municatio major eandem in re significatio-  
 nem habeant, solemnitatem tamen anathema  
 ab excommunicatione secerentur , quod so-  
 lemni ritu , & cæremonijs ( uenpe Episco-  
 sum duodecim Sacerdotes stipantes cum  
 lucernis ardentibus in manibus, quas in  
 conclusione anathematis projiciunt in ter-  
 ram, pedibusque conculcant, nec ad ullum  
 amplius usum assumuntur ) majorem terro-  
 rem in cutientibus Peccatorem contumacem  
 Ecclesia execretur, dirisque devoveat.

11 Aliæ sunt divisiones Excommunicationis in excommunicationem Canonis, & Judicis, sive à Jure, & ab Homine: item latæ sententiæ, & ferendæ, quæ facilè ex ipsis terminis intelliguntur.

12 Ad tertiam controversiæ partem notat Reverendis. P. Franciscus de Varesio, meus prioribus annis Superior Generalis in *Promptuario Scotico*, opere exquisitissimo, verb. *Excommunicatio*: raro invenitur ab Apostolis Excommunicationis gladius extractus, in omnibus enim Epistolis Pauli non invenies, quod excommunicaverit, nisi tribus vicibus: unde *nulli Christianorum* ( ait Leo 1. in Epist. 87. ad Episcopum Viennensis Provinciae ) " facilè communio denegetur, " nec ad indignantis hoc fiat arbitrium Sa- " cerdotis, quod in magni reatus ultionem " invitus, & dolens, quod amodò debet in- " ferre animus vindicantis. Illi itaque, qui in meram vindictam, & ultionem animo se de aliquo ulciscendi excommunicationem ferunt, peccant mortaliter: ita expressè habetur C. *non imperpetuum*, ex Rabano de *Ecclastici pressuris*. lib. 1. " Multi Sacerdo- " tum calpam zelo DEI se persequi profiten- " tur; sed dum indiscretè hoc agitur sacri- " legij facinus incurront, & dum præcipites " quasi

" quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque  
" multō magis in deterius cadunt.

13 Magna itaque circumspectione feratur horribilis sententia excommunicationis,  
& primaria intentione vocatur in medicinam,  
& emendationem excommunicati, in quo  
differt à pœna strictè sumpta, quæ in meram  
vindictam infligitur: *cum* ( inquit Innocen-  
tius IV. de sentent Excom. in 6.) " medicina-  
" lis sit excommunicatio, non mortalis, di-  
" sciplinans non eradicans, dum tamen is, in  
" quem lata fuerit, non contemnat, cautè  
" provideat Judex Ecclesiasticus, ut in ea  
" ferenda ostendat se prosequi, quod corri-  
" gentis est, & medentis.

14 Quæres. Si Judex Ecclesiasticus sub  
haç verborum forma sententiam excommuni-  
cationis diceret: " ego autoritate mea  
ordinaria, qua fungor, Titum excom-  
munico: An Titus foret excommunicatus  
excommunicatione majori, vel minori?  
videtur enim, quod appellatione excommu-  
nicationis debeat intelligi de minori, sequi-  
dem in pœnis mitior est facienda interpre-  
tatio: at R. quod régula præcedens locum  
habeat in interpretatione de pœnis tempo-  
ralibus, & pecuniarijs: excommunicatio  
autem cum non sit pœna, sed animæ medi-  
cina, & in concernentibus periculum ani-

mæ tutior interpretatio facienda est *cap. Jus venis.* ergo in casu tutior erit interpretatio, quod excommunicationem falso mans intellecterit de majori; quia in tali interpretatione nullum subest periculum: Titus ergo illo verborum tenore excommunicatus censetur ligatus excommunicatione majori: ratio est; quia verba debent intelligi secundum consuetudinem *cap. littera:* sed communiter appellatione excommunicationis intelligimus majorum: ergo Titus illa verborum forma ligatur excommunicatione majori.

## De Excommunicatione Majori.

### Controversia Prima.

**U**TTRUM privet usu activo omniū Sacramentorum? *Excommunicatus vitandus illicitè quidem, validè tamen omnia sacramenta ministrat, præterquam Sacramentum Pænitentiæ*

tie exceptis certis casibus, validè  
præterea assistit matrimonio, aut  
assistendi licentiam tribuit alteri  
Sacerdoti.

15 Illicitè ab eo præstari sacramenta, & qui-  
dem cum incurso irregularitatis, constans  
est Doctorum sententia C. latores. De Cler.  
Excom. Can. si quis. Cap. xi. q. 3. & rectè in-  
terdicit Ecclesia contumacibus, & criminio-  
sis collationem Sacramentorum, quod est  
ministerium publicum Ecclesiæ concessum à  
Christo. Nec evitat irregularitatem in Sa-  
cramento Pœnitentiæ, licet invalidè admi-  
nistret; sicut incurrit eandem rebaptizans,  
licet invalidè baptizet: hæc enim irregula-  
ritas statuta est etiam in illos, qui attentant  
Sacramentum confidere, quamquam nihil  
conficiant Suar. d. 11. sect. 3. a. n. 14.

16 Validè tamen simul ministrari reliqua  
Sacramenta, probatur tum ex indelebili-  
tate characteris; tum quod vis, atque valor  
Sacramentorum quoad substantiam perfici-  
atur materia, forma, & intentione, quæ  
Ecclesia non potest invalidare: eadem ra-  
tio procedit ad sacramentalia, quippe quæ  
vel ad Episcopalem, vel ad Sacerdotalem  
Ordinem pertinent, quem Ecclesiasticus Ju-

dex auferre non potest, secus jurisdictionem.

17 Hinc dixi: *Sacramentum Pœnitentiæ invalidè conferri*: cum enim ex Trident. *Seff. 14. c. 7.* ad valorem hujus Sacramenti requiratur etiam potestas jurisdictionis, hanc autem tollat Ecclesia ab excommunicato vitando per *C. si celebert de Cler. Excom.* manifestè infertur, ab eo invalidè ministrari *Sacramentum Pœnitentiæ.*

18 Excipiuntur tamen casus: *Primus* est, articulus mortis, vel ejus probabile periculum. *Secundus*, quando Sacerdos ignorabatur esse excommunicatus, & communi errore cum titulo habebatur pro legitimo. *Tertius*, Si ægrotus non potest Sacramentum pœnitentiæ recipere, poterit, imò debet excommunicatus in ea necessitate conferre Eucharistiam, vel saltem extremam unctionem: cum enim Sacraenta vivorum saltem per accidens conferre possint primam gratiam, non est credendum, quod pientissima Mater Ecclesia velit ægrotum his medijs privare propter censuram Excommunicati *Laym. cap. 2. n. 5.* Quod si ægrotus contulit Sacramentum pœnitentiæ, censet *Suar. d. 11. seft. 1. n. 17.* posse eidem etiam ministrare sacram communionem, tum propter repetitum præceptum Christi

Do-

Domi*n*i de suscipiendo hoc Cibo Divinissimô: tum quòd fieri possit, ut sublato per Eucharistiam obice gratiam moribundus accipiat.

### *Corollaria practica.*

19 **E**X his sequitur *Primo*, ab Excommunicato vitando validè conferri baptismum, confirmationem, Ordines, &c. item validè consecrari Ecclesias &c, & quamquam aliqui Canones dicant, *irritam* esse ordinationem factam ab Episcopo excommunicato, aut Schismatico illi tamen sunt explicandi de irritatione quoad jurisdictionem, & exercitium ordinatorum, non verò quoad potestatem Ordinis.

20 Sequitur *Secundo*. Invalidè à tali audi, vel absolvi pœnitentes, extra casus superius explicatos.

21 Dixi hucūque de excommunicatio vitando: nam Sacramentum Pœnitentiarum collatum à tollerato validum esse, docent plerique post *Smar. d. 10. sect. 1.* qui quamquam se nequeat ingerere in communionem fidelium, fideles tamen per constitutionem, ad evitanda possunt cum illo cùmunicare, adeoque & Sacra*m*enta petere, ut proinde non censeatur esse privatus Jurisdictione.

**22** Circa Sacramentum Matrimonij validam esse Excommunicati assistentiam defendit cum pluribus *Sanch. l.3. de matrim. d.21 n. 8.* tum quod excommunicatio per se non auferat esse Paroichi, tum quod assistere matrimonio non sit actus jurisdictionis : alias Parochus invitus, vel coactus assistens, assistet invalidè , siquidem jurisdictione semper exhiberi debet voluntariè . Adde : quod pro favore Matrimonij admittantur testes omnes Jure naturali non impediti.

**23** Validè quoquè à tali dari licentiam assistendi, docent. *Sanch. Ponce & plures apud Barbos. p. 2. alleg. 32. n. 110. contra Avil. Con-*  
*ninch. Laym. c. 2. n. 5.* tum quod hujusmodi licentia non sit propriè actus jurisdictionis Paroichi, quia Parochus est, sed authoritatis à Tridentino annexæ officio Paroichi : tum quod etiam substitutio per se non sit actus jurisdictionis.

## Controversia secunda.

*Utrum privet Beneficio Ecclesiastico obtainendo, aut obtento?*

### §. I.

**E**xcommunicatus redditur inhabilis ad Beneficia Ecclesiastica

stica obtainenda, & probabilius etiam ad pensionem mixtam: incapax præterea fit cuiusvis officij seu dignitatis Ecclesiasticæ, non tamen sacerdotalis. Electus ad beneficium tempore, quo babilis existit, validè illud acceptat tempore excommunicationis, secus si eligatur tempore inhabili.

24 Ad Beneficia Ecclesiastica obtainenda reddi inhabilem excommunicatum, habetur per cap. postulatus de Cler. Excom, &c. ibi Innocentius III. definit: Clericis excommunicationis vinculō innotatis non posse conferri Ecclesiastica Beneficia, nec licetē retineri, cum ea non fuerint canonice consecuti: & ratio est, quia Beneficium Ecclesiasticum exigit Ecclesiastici officij usum, & communicationem, quæ tamen excommunicato cuicunque sunt prohibita.

### *Corollaria practica.*

25 EX quo Infertur Primo: Electionem, præsentationem, nominationem, aut  
col-

collationem beneficij Ecclesiastici in excommunicatum esse nullam, & irritam.

26 Secundò. Etiam quamlibet acquisitionem beneficij sive ex causa permutationis, sive resignationis esse nullam, dumodo tempore collationis fuerit censura irretitus: communis cum *Avil. d. 5.*

27 Infert. Tertiò. Id procedere, etiamsi excommunicatus ignarus tunc esset censoræ, aut toleratus: ratio primi; quia ignorantia contracti impedimenti, seu inhabilitatis non tollit inhabilitatem. Ratio secundi; quia toleratis aliud non conceditur, quam quod fideles ex privilegio suo possint communicare cuni ijs, per quod non tollitur toleratorum inhabilitas, quippe qui se non audent ingerere in ea officia, propter quæ datur beneficium Ecclesiasticum sic ferè communis apud *Pal. p. 10. a. n. 3.* quamquam *Dian. p. 5. t. 9. R. 99. n. 4.* censet cum *Philipp. Fab.* non esse irritam electionem, aut collationem beneficij, quandò provisus ignorat ignorantia probabili se excommunicatum esse.

28 Infertur quartò. Hanc incapacitatem extendi probabilius etiam ad pensionem mixtam, qualis datur e. g. resignanti, permutanti lite cedenti, quæ nimirum & temporalis est, cum nullum munus ordini annexum

nexus exigat ; simul & spiritualis , quia ad sui collationem exigit spiritualem Ordinem, ratio est ; quia plus est obtinere Jus novum , & pensionem percipiendam , quam percipere ipsos fructus : atqui Pensionarius prius habilis , deinde excommunicatus nequit percipere fructus tamquam incapax bonorum & privilegiorum Ordinis Clericalis ergo etiam , &c. Et hoc quidem in communiore sententia *Suar. Vasq. Pal. Lef. l. 2. c. 24. dub. 38.*

29 Nilliominus collationem pensionis factam excommunicato esse validam, censent tamquam probabile *Laym. C. 5. n. 8. Sa. Suar. Pal. n. 8.* quin *Conninch. d. 14. dub. 9.* relatis aliorum sententijs nihil definit dicens : difficulter judicari posse , quænam earum vera sit. Cæterum de pensione , quæ vocatur præstimonium , id est , de ea , quæ ex fructibus alicujus beneficij extrahitur in perpetuum , dubium non est , eam excommunicato conferri non posse , cum sit propriè beneficium Ecclesiasticum.

30 Infertur *quinto.* Eandem inhabilitatem extendi ad munera Ecclesiastica , ut Legati , Delegati , Inquisitoris , Provisoris Episcopatus , Provincialis , Rectoris , Guardiani propter insinuatam rationem , quod cum excommunicatus sit exclusus ab exercitio , seu

seu usu horum munierum , consequenter etiam censendus sit exclusus ab ipsis munieribus , seu officijs , prout argumentantur Doctores ex præcitat. *Cap. postulatis.*

31 Denique hanc eandem inhabilitatem extendunt Doctores gravissimi ad munera , & dignitates Sæculares , ita ut excommunicatus etiam horum incapax ipso jure existat : nituntur *c. Venerabilem. 34. De Eleçt.* item paritate rationis , siquidem excommunicatus arcetur ab exercitio , & usu officij Judicis , actoris advocati , &c.

32 Verum probabilior videtur negativa cum *Suar. Con. Filiati. Escobar. Pat. n. 11.* quia nullo aperto textu Juris pronuntiatur nulla , & irrita nominatio , & collatio munierum sacerdotalium facta excommunicato : quin ex cit. *cap. Venerabilem.* colligunt Doctores præcitat , electionem Ducis excommunicati , de quo ibi agitur , in Imperatorem fuisse validam , illicitam tamen , & irritandam , prout irrita declarata fuit ab Innocentio III. propter alia quoque notoria impedimenta Ducis : Jus enim , & autoritas , prout loquitur Innocentius loco cit. examinandi personam electam in Regem , & promovendam ad Imperium spectat ad Pontificem , qui Eum inungit , consecrat , & coronat ; quod ipsum testatur Pontifex in

in sua præsentia recognovisse Principes Germanos. Secundò : quia non est par argumentum ab Ecclesiasticis officijs ad sæcularia : tum quòd sæcularia non prohibeantur directè per censuram , sicut spiritualia : tum quòd munera Ecclesiastica proximius accedant conditioni , seu naturæ beneficiorum , quorum incapax est excommunicatus.

33 Quares Primo. Titius habilis ad beneficium ante triduum ad id canonicè electus fuit : interim incurrit excommunicationem , & hodie electionem sui acceptat ; validè est acceptatio ? invalidam pronuntiant gravissimi Doctores Covar. Suar. Cons. Laym. c. 5. n. 11. quia per acceptationem acquirit Jus in beneficium : excommunicatus autem est incapax acquirendi. Resp. Cum Lef. Tol. Pal. Dian. p. 6. t. 9. R. 102. probabilius esse validam ; quia acceptatio non est aliud quàm declaratio voluntatis pertinens adnudum factum ; nec est illa acquisitio Juris, sed pura conditio , aut dispositio subiecti , cum nullus sibi ipsi Jus conferat : atqui SS. Canones solum id irritant , quod est aut actus Jurisdictionis , aut collatio Juris in excommunicatum ergo.

34 Confirmatur. Si Beneficij ritè collati possessionem accipiat excommunicatus , aut alium sui loco mittat in possessionem ,

utrūmque est validum : ergo etiam qui acceptat, electus alioquin tempore habili.

35 Quæres secundò. Titio actualiter excommunicato confertur beneficium, quod ille non acceptat, nisi post absolutionem à censura, valétne collatio ? Affirmativam probabilem judicant *Laym. Less. Cons. Dian.* p. 8. l. 9. R. 101. sub certis tamen limitationibus : quia voluntas collatoris perseverat tempore acceptationis, quam supponimus fieri tempore habili. Resp. cum communi, Titio invalidè fuisse collatum beneficium : cum quod Jura talem collationem pronuntiant absolutè invalidam : tum quod consensus collatoris fuerit circa objectum in capax : ergo nullus : ergo nec perseverat virtualiter : neque enim tractu temporis firmitatur, quod ab initio non subsistit. Videri potest *Pal. a. n. 19.*

## §. II.

*Excommunicatus in probabili  
valdè sententia non privatur ipso  
Jure, aut ex vi censuræ fructibus,  
& proventibus Beneficij acquisiti  
tempore habili.*

36 EXcommunicatum non facere in conscientia fructus suos , seu obligari absque alia sententia illos restituere , vel curare eorum condonationem à Sacra Pœnitentaria , docent multi cum , & apud Gar . p . 7 . de beneficiis c . 13 . n . 9 . per C . pastoralis . De Apellat . ubi Innocentius III . definit : & illi proventus Ecclesiastici merito substrahuntur , cui Ecclesie communio denegatur .

37 Sed negativam docent non pauciores .  
*Gloss. in cit. cap. Vasq. Petrus Navar. Sanch.*  
*Conninch. Pal. Laym. c. 5 . n . 9 . & Dian. p . 4 .*  
*t . 4 . R . 54 .* ait , super hac quæstione in materia magnæ cujusdam quantitatis se olim consultum , mordicus hanc sententiam sustinuisse : ratio est ex comuni principio ; quia pœna non irrogatur , nisi Jure expressa cœatur : & gravissima hæc pœna privatio fructuum ipso Jure incurrenda non cœetur ullo aperto textu ; nam tò substrahuntur in præcit . Cap . denotat subtractionem faciendam per Judicem mediante nova sententia super addita excommunicationi ; non verò factam per ipsam legem , aut censuram , prout communiter explicant cit . Doctores notantes , quòd Pontifex interrogatus fuerit , utrum excommunicatus non obstante appellatione sit denunciandus , & ad tempus spoliandus fructibus ? Responderit , posse

denunciari, & subtrahi fructus; non vero per ipsam excommunicationem jam esse denuntiatum, & privatum fructibus. Unde sicut Excommunicatione quæ talis præcisè non trahit, aut infert denuntiationem actualiem, ita nec actualiem privationem fructuum. Adde: quod quamvis opposita sententia de rigore Juris subsisteret, huic tamen rigorū fuisse per consuetudinem derogatum, eamque consuetudinem vigere in Hispania, testatur *Pal. p. 11. n. 4.*

38 Dixi primò: *ipso Jure*, seu vi censuræ: etenim si excommunicatus, vel ab officio suspensus, & in contumacia, vel mora petendæ absolutionis persistens, officium nequè perse, nequè per alium præstet, tunc ex *naturali Jure* obligatus est ad restitutionem fructuum, qui non dantur, nisi propter officium, *juxta cap. ultimum de Rescript. in 6.*

39 Dixi secundò: *Beneficij acquisiti tempore habili*: si enim beneficium acquisivisti excommunicatus, cum nulla fuerit ejus acquisitionis; nulla quoque, & invalida erit acquisitionis fructuum: quamquam in hoc etiam casu doceant *Martin. Navar. Henrig. Avil. Conninch.* non improbabiliter, quod si beneficio etiam tunc inservijsti, possis fructus correspondentes retinere, non quidem titulo beneficij, sed titulo obsequij præstiti æquè utilis:

utilis: his tamen reclamant *Gart.* cit. cap. 13. n. 101.

## *Corollaria practica*

40 EX his pro praxi sequitur *Primo*: Si Canonicus in occulta, seu tolerata excommunicatione existens inservit Choro, Capellanus missas per solvat, Parochus Sacra-menta ministret; non teneri eos in conscientia se ipsos spoliare fructibus; quia licet peccent, se ipsos in Divina Officia ingerenda, validè tamen obsequium, & ministerium suum fidelibus utile implet, ideoque Jure naturali fructus suos faciunt. *Laym. cit. n. 9.*

41 Sequitur secundò: polità sententia condemnatoria obligari eos cedere fructibus: quod si excommunicatus ipse sit pauper, & sententia condemnatoria non excludat pauperes, poterit fructus sibi applicare: communis cum *Pal. n. 6.*

42 Quæres primò. Si injustè excommunicatus, & ad privationem fructuum condemnatus sis, quid tunc liceat? Resp. primo: Si excommunicatio, & condemnatio sit iustificata simul, & invalida, seu ea, quæ defectum substantialem continet, poteris te in foro conscientiae gerere, ac si excommunicatus non fores: quia quod nullum est, nullum producit effectum. Resp. secundò:

Si condemnatio sit injusta quidem, sed valida, id est, ea cui accidentalis tantum defectus inest, e.g. si non procedat ex scripto, vel causa non expressa, &c. verior est sententia Ugolini. *Sair. Suar. d. 13. n. 20.* docentium, quod non possis repetere fructus ab ijs, quibus sunt applicati contra id, quod docet cum alijs *Pal. n. 9.* quia injustitia sicut non impedivit valorem sententiae, ita nec impedit valorem applicationis: contra Judicem tamen competit actio ratione injustitiae.

43 Quæres secundò. Utrum tibi debeantur fructus quos propter absentiam à Choro, seu debiti officij omissionem amittis eo tempore, quo recedens à contumacia non potes impetrare absolutionem à censura? Affirmativam tamquam probabilem cum alijs sequitur *Laym. cap. 5. n. 10.* quando nimirum per se non stat tolli impedimentum absolutionis. Resp. cum *Bonacina Suar. Pal. n. 14.* negativè: nam juxta dicta pœnitentia sola non tollit, nec infirmat excommunicationem: ergo nec ejus effectum. Nec urget paritas de infirmitate, quam opposita sententia adducit: nam infirmitas nullum est per se, nec culpabile impedimentum, secus excommunicatio.

## Controversia tertia.

*Qualis excommunicatio incurritur ob percussionem Clerici, vel Religiosi?*

44 **H**ec continetur in famoso illo Canone  
si quā suadente. Cav. xvii. q. 4. quam  
per quæstiones explicabo.

45 Quæritur primò. Quid hic veniat no-  
mine Clerici, vel Religiosi? Resp. primò:  
nomine *Clerici* venire omnes, quicunque  
saltem primam tonsuram ab Episcopo acce-  
perunt, etiamsi excommunicati, Suspensi, ir-  
regulares, aut verbaliter depositi, quin etiam  
cadaver mortui Clerici, gaudere hōc privile-  
giō docent plures cum *Dian.p. 9.t.4.R.39.*

46 Econtrà Canonis hujus privilegio  
privantur primò realiter degradati: Secundò  
Bigami bigamia vera, aut interpretativa in  
minoribus constituti *eap. unicōde Bigam.in 6.*  
Tertiò Clerici in conjugio viventes, præter-  
quam illi, qui tonsuram, & habitum Cleri-  
calem gestant, & insuper Ecclesiæ alicujus  
servitio ex Episcopi deputatione vacant  
*cap. unicō. de Cleri. conjug. in 6.* Quartò Cle-  
rici etiam in majoribus constituti, qui di-  
misso

missio habitu & tonsura negotijs fœculari-  
bus se immiscent, si tertio ab Episcopo suo  
moniti emendare se contempserint *cap.*  
*contingit. de Sent. Excom.* item qui dimisso  
habitu immiscens se Tyrannidi, & enorini-  
tati, hoc est, seditioni, vel lattocinijs, &  
iniquis bellis *cap. perpendimus eod.* talis ta-  
men non amittere privilegium fori, cum  
multis docet *Laym. cap. 5. n. 3.* Quinto Cle-  
trici publicè exercentes officium Lanionis aut  
cauponis, artem ignominiosam ludionis, mi-  
mi, aut Parafti, hucusque, inquam, enuine-  
rati non gaudent hoc privilegio Canonis,  
illud tamen favorable est, quod docent  
*Martin. Navar. Mol. Avil. Pal.* initiatum pri-  
mā tonsurā, vel minoribus Ordinibus,  
etiam si tonsuram, & habitum communiter  
non gestet, nec cuin licentia Episcopi alicui  
Ecclesiæ inserviat, nec in aliqua publica Aca-  
demia literis vacet, adhuc tamen hoc privi-  
legio gaudere, quamquam per *Tirdent. Sess.*  
*23. de Refor. cap. 6.* non gaudeat privilegio  
fori, & pro hac sententia adducit *Gonsal.* de-  
clarationem congregationis Concilij.

47 *Resp. Secundo:* nomine *Religiosi* com-  
prehenduntur omnes utriusque sexus Reli-  
giosi, eorumque conversi, & conversæ  
*C. non dubium. c. ex tenore. c. de Monialibus*  
*de Sent. Excom.* Item Novitij tamquam pro-  
ximi

xlvi in via ad Religionem suscipiendam c. Religioso. eod. in 6. Item Fratres Tertiarij Ordinum D. Dominicani, & mei S. P. Francisci vitam in communitate gerentes cum habitu religioso, secus illi, qui in proprijs domicilijs commorantur cum communij Pal. p. 23. § 1. n. 14. prieterea his Eremitas, qui edito paupertatis votô, vel alia suscepta obligatio ne apud Prælatum Ecclesiasticum Ordini, vel alicui Ecclesiæ speciatim addicti sunt, annumerant. *Suar. Conninch. Laym. n. 14.* Denique de Equitibus Serenissimorum Ordinum Militarium Teutonicis, S. Joannis, seu Melitensibus, dubium nullum est, cum sint veri Religiosi ; de alijs Equitibus spectanda est consuetudo, nec non singulorum Privilegia.

48 Quæres secundò. Quænam personæ huic Censuræ subjaceant? Resp. Omnes, & singuli fideles utriusque sexus, quavis auctoritate fulgentes, si fraudente diabolo (hoc est, ex malitia mortaliter peccaminosa, ad quam nimirum solet incitare, & fraudere dia bolus) manus violentas injecerint in Clericum, vel Monahum aut Religiosum : né quo ab hac excommunicatione excusantur pueri etiam in minore ætate constituti modo perfectum rationis usum habeant.

# Corollaria practica

**49** EX quo sequitur *primo*: etsi Clericus in sui percussionem consentiat, percutientem adhuc ligari censura: cum enim percussio sit injuriosa, & dehonestativa statu Clericalis, in cuius favorem ea poena lata est, consensus particularis Clerici nullus est, & inefficax.

**50** Sequitur *secundò*: quod cum consuni sententia docet Connib. d. 14. d. 15. n. 170. Clericum, si se ipsum malitiosè occidat, vel vuloderet; aut tales injuriam sibi inferri consulat, aut præcipiat, incidere in eandem censuram; verificatur enim de illo ipso violentas manus in Clericum injicere: Pal. tamen p. 23. §. 2. n. 4. testatur oppositum ab alijs non improbabiliter censi, & quod Pontifex videatur de tertia persona locutus.

**51** Sequitur *tertiò* hanc censuram extendi ad mandantes, seu precibus, aut promissis incitantes ad prædictam offenditionem. C. mulieres. d. sent. Excom. item ad Consentientes C. quanta. eod. item ad ratam habentes tamquam nomine suo factam C. cum quis eod. in 6. Non tamen extenditur contra mere negativè se habentes, aut non impedientes, si tamen ex justitia impedire non tenebantur, cum plurimis Laymann. c. 5.

52 Quæres Tertiò. Quidnam intelligatur per *tò manus violentas?* Resp. cum *Suar.* d. 22. sect. 1. actionem gravitatur voluntariè injuriosam statui Clericali intelligi, quæ fiat in facto, & in opere, manibus, pedibus humero, &c. vel etiam porrigendo vennum, &c. vel immediatè in personam Ecclesiasticam, vel in res illi adhærentes e. g. lacerando, vestes detinendo violenter per cingulum, cohibendo equum fræno, &c.

### *Corollaria practica.*

53 Hinc sequitur *primo*: excusari ab hac censura ex imperfectione actus e. g. si percussio sit indeliberata, & subita, jocosa, casualis in Clericum non formaliter, non animo injuriandi, vel defendendi se ipsum, parentes, filios, amicos, quin etiam extraneos, dummodo sit pura innocentis defensio.

54 Secundò: per ignorantiam probabilem, ut quia non cernit personam, dum de nocte percutit, aut non cognoscit ex habitu, quem non gestat: aut rationabiliter putat esse laicum. Quod si quis existimet Titiū, Clericum, quem percutit, cum tamen sit Caius Clericus, censuram non effugiet: scit enim se percutere Clericum: at verò si quis volens percutere hunc numero Clericum

ricum Joannem, & casu, sive præter omnem intentionem percutiat alterum Clericum proximè adstantem non incurret excommunicationem : neque enim posterioris percussio illi est voluntaria: *Suar. Laym. n. 8.*

55 *Tertio.* Excusari titulo correctionis, & disciplinæ : hinc possunt Prælati Ecclesiastici, & Magistri discipulum Clericum etiam in sacris constitutum correctione moderata punire : item Officiales Ecclesiastici Clericos turbantes divina officia ; imo etiam parentes suos filios, & quidem in sententia multorum cum *Bonacim. d. 2. q. 3. p. 6.*  
*Seçt. 4. n. 4.* etiam in sacris constitutos, quod tamen postremum melius negant. *Mot. Laym. Pal n. 8.* denique propter difficultatem, quam Jus Canonicum agnoscit, temperandi dolorem, cohibendique impetum vindictæ in eo, qui videt suam uxorem, matrem, sororem, aut filiam turpiter polluit à Clerico sive is inveniatur in actu fornicationis, sive vacans amplexibus, osculis, tactibus turpibus, &c. quin imo si in loco suspecto, ita ut ex circumstantijs meritò convinci possit turpitudo, Jus, inquam, Canonicum per c. si verò. *De Sent. Excom.* dumodo percussio fiat in continenti, excusat ab hac excommunicatione percussorem, quamquā peccatum lethale committit in percussione.

56 Quartò. ex Panormit. & DD. in cap.  
eum non ab homine de Judicijs. Sæcularis  
minister justitiae, qui Clericum noctu invenit  
paratum ad peccandum , vel id valde pro-  
babiliter , & rationabiliter præsumit , potest  
eum capere , & si se defendat, percutere, ut  
illum suo superiori præsentet.

57 Quæres quartò. Quis absolvat ab hac  
censura. ? Resp. primo. si sit percussio levis  
non quidem levitate culpæ ( nam supponitur  
esse gravis ) sed levitate comparativa per-  
cussionis, quæ vel ex se vel ex circumstan-  
tijs viri prudentis judiciō discerni potest, po-  
terit ab hac Episcopus absolvere per cap.  
*pervenit, de Sent. Excom.*

58 Resp. secundo. Si verò percussio sit  
enormis, sive atrox, quæ tum ex facto ipso ,  
tum ex qualitate personæ offendæ , & offen-  
dantis, tum ex alijs circumstantijs defumi-  
tur e. g. si membrum detruncetur , Clericus  
conculcetur pedibus &c. titem si percussio  
fuerit media inter levem, & enormem, quam  
alij gravem appellant , e. g. si percussio sit  
infacie, aut in loco publico, aut cum scan-  
dalo, &c. hæc, inquam, absolutio semper est  
reservata Sedi Apostolicæ secundùm jus  
commune: potest tamen absolvere Lega-  
tus à latere propriè talis quoscunque acce-  
dentes: Nuncius verò Apostolicus eos tan-  
tum,

tum, qui sunt de Provincia suæ legationis,  
seu nunciaturæ.

59 Ab his excipiendi sunt casus aliquot:  
*primus*: si Ostiarius prætextu officij Cleri-  
 cum percutiat non enormiter, potest absolu-  
 vi ab Episcopo. *Secundus*: Clerici in com-  
 muni societate viventes, & se percutientes;  
 nisi facti atrocitas aliud exigat. *cap. quoniam.*  
*De vit. & honest. Cleric.* *Tertius*: Regulares  
 ejusdem claustrí se invicem percutientes  
 non enormiter, possunt à suo Prælato ab-  
 solvi, sed hic rectè monet *Mol. tom. 3. d. 69.*  
 videnda esse Ordinum privilegia. At verò  
 si Regularis percutiat Clericum fæcularem,  
 non poterit absolvi, nisi à Sede Apostolica,  
 præterquam si percussio sit levis, tunc enim  
 ab Ordinario Clerici potest absolvi *c. Reli-*  
*giosi. de sentent. Excom. in 6.* Denique Episcopi  
 per Tridentinum *Sess. 24. c. 6.* possunt ab hac  
 & alijs excommunicationibus juxta dicta,  
 modo delictum sit occultum & ad forum  
 contentiosum non deductum, absolvere.  
 Mendicantibus verò Religiosis non absimi-  
 lis potestas est concessa per speciale Sedis  
 Apostolicæ beneficium. Ad extramum fa-  
 vorabile est, quod *Dian. p. 11. t. 8. R. 21.* pro-  
 bat adducens duodecim graves omnino  
 DD. *notorium* Clerici percussorem non esse

cen-

censendum; nisi post declarationem Ju-  
dicis.

60 Ubi verò impenditur absolutio ab hac  
censura, rectè notat *Pal. n. 20.* præstandam  
prius esse ab excommunicato satisfactionem  
parti læsæ, quantum commodè potest. Se-  
cundò in eventu, quo quis absolvitur pro-  
pter impedimentum temporale, de quo  
*Ilsung d. 6. q. 6. n. 215.* exigi debet juramen-  
tum comparandi coram superiore, quod si  
postmodum non comparuerit, incidit in si-  
milem excommunicationem per *Ceos qui de-*  
*Sent. Ex com. in 6.*

## Controversia Selecta.

An Leges Pontificiæ vetantes  
lectionem Librorum prohibi-  
torum in Germania  
vigeant?

Species facti. Adeò olivetis  
Christianæ Reipublicæ libri  
damnati sunt fatales, ut solo af-  
fla-

*latu ijsdem sint exitiales ; Sic  
refert Abdias Babylonius L. 4.  
Certaminis Apostolici de S. Ja-  
cobo Apostolo , qui libros Her-  
mogenis ante suos sacros pedes ab  
ipso converso Hermogene delatos,  
ut comburerentur, jussit appensis  
lapidibus , & plumbō in mare  
de mergi , ne forte , inquit , odor  
incendij vexet incautos. Tan-  
tus fuit horror librorum prohibi-  
torum.*

61 **A** Nte resolutionem Nota : liber *Hæreti-  
cus* is dicitur, qui errorem contra re-  
ctam fidem continet : liber *Hæretici* vocatur  
ille, qui ab *Hæretico* compositus est, quamvis  
*hæresim* nullam contineat : liber *prohibitus*  
ille habetur, qui in authenticō indice lib-  
rorūm prohibitōrum notatur

62 Dico. Observantia legis Pontificiæ de  
non legendis vetitis libris afficit Aleman-  
nos. Sic in praxi potiores Germaniæ Theo-  
logi

63 Prob. primò Bulla Pij IV. edita Romæ  
die 24 Martij 1564. incipit, *Dominici Gregis*,  
ibi : " Nos saluti animarum consulere, eam-  
" que ob causam providere cupientes, ne li-  
" bri, & scripta cujuscunque generis, quæ  
" in eo improbantur sive ut hæretica, sive  
" ut de hæretica pravitate suspecta, sive ut  
" pietati, ac morum honestati inutilia, aut  
" aliqua correptione faltem indigentia, post  
" hac à Christi fidelibus legantur, ipsum in-  
" dicem una cum regulis ei præpositis au-  
" toritate Apostolica tenore præsentium  
" approbamus, imprimique ac divulgari, &  
" ab omnibus Universitatibus Catholicis,  
" ac quibuscunque alijs ubique suscipi, eas-  
" que regulas observari mandamus, atque  
" decernimus. Inhibentes omnibus, & sin-  
" gulis tam Ecclesiasticis personis, Sæculari-  
" bus & Regularibus cujuscunque gradus,  
" ordinis, & dignitatis sint, quam laicis quo-  
" cunque honore, ac dignitate præditis, ne  
" quis contra earum regularum præscrip-  
" tum, aut ipsius prohibitionem indicis li-  
" bros ullos legere, haberève audeat. Si  
" quis autem adversus eas regulas prohibi-  
" tionemque fecerit, is quidem, qui Hære-  
" ticorum libros, vel cujuscunque authoris  
" scripta propter hæresim, vel falsi dogma-  
" tis suspicionem damnata, atque prohibita

" legerit, habueritue ipso jure in excommuni-  
 " cationis pœnam indicat: eamque ob cau-  
 " sam in eum tanquam de hæresi suspectum  
 " inquire, & procedi liceat - - - - Qui au-  
 " tem libros alia de causa prohibitos legerit,  
 " habueritue præter peccati mortalis rea-  
 " tum Episcoporum arbitrio severè se nos-  
 " verit puniendum. En cautelam latam pro  
 " omnibus Christi fidelibus, de quorum nu-  
 " mero hodie potior Sacri Romani Imperij  
 " pars esse gloriatur.

64 Probatur secundò. Lege Religiosissimi  
 Austriaci Imperatoris Caroli V. edita Wormaciæ die 8. Mens. Maij. Anno 1521. *Ad*  
*veri Romanorum Imperatoris* §: 10. " Man-  
 " damus insuper vobis omnibus, & singulis  
 " præfatis, sub eisdem præ nominatis pœnis,  
 " ne quis Martini Lutheri scripta à summo  
 " Pontifice autoritate sua Apostolica ( ut  
 " præmittitur ) damnata, aut alia quæcun-  
 " quem tam latino, quam Alemanico, seu alio  
 " quovis idiomate, ab eo hactenus compo-  
 " sita, vel in posterum componenda utpote  
 " mala, suspecta, & à notorio & pervicacissi-  
 " mo hæretico provenientia emere, vende-  
 " re, tenere, legere, describere, imprimere,  
 " aut describi, vel imprimi facere, asserere,  
 " sustentare, prædicare, defendere, præsu-  
 " mat: non obstante, quod in illis etiam ali-  
 " " qua

qua bona (ad fallendas simplicium mentes) immixta essent. In quo præter iustam Sedis Apostolicæ sententiam, etiam laudatissimam veterum Patrum institutio- nem, & consuetudinem omnino exequendam duximus. Qui Arianorum, Priscilianistarum, Nestorianorum, Euthychianorum, & aliorum hæreticorum libros, & in illis contenta omnia, tam bona, quam mala, promiscuè exusserunt, & adnihilarunt. Nam si optimi quique cibi unius tantum gutta veneni (quo humatum corpus læderetur) infusione suspecti penitus sunt abijcindi, quantò magis ea scripta, Iquibus tanta & tam noxia animabus venena passim inserta sunt, non solum nobis cavenda sunt, sed etiam (ne alijs noceant) prorsus destruenda, & corrupta atque ab omni hominum memoria veniunt obliteranda.

§. 12 Verum, quia maximè cavidum est, ne Martini libri, aut ex illis excerpta mala, suppresso, aut etiam mutato authoris nomine, publicentur: quia etiam non sine magna animi nostri offensa, multos quotidie videmus, & audimus, cum alibi, tam maximè in Germania, componi, & imprimi libros, pluribus malis traditionibus, & exemplis refertos: & ne, non

" omni astu & dolo, humanæ naturæ hostis,  
 " Christianis laqueos tendat multos, paßim  
 " divulgari picturas et imagines, non in op-  
 " probrium modo privatarum personarum,  
 " sed & ipsius Summi Pontificis, & Sedis  
 " Apostolicæ contumeliam excogitatas: ex  
 " quibus omnibus libris, & picturis, Christi  
 " fideles in maximos tam in fide quam in  
 " vita, & moribus prolabuntur errores, &  
 " non solum privata odia, scandala, & simul-  
 " tates (prout experientia docet) multis in  
 " locis exorta fuerunt: verum etiam Sedi-  
 " tiones, tumultus, rebelliones, schismata  
 " in Regnis, Provincijs, & populis, atque  
 " universa DEI Ecclesia (nisi provideatur:)  
 " jam jam excitanda formidantur: idcirco,  
 " ad hanc pernicioſiſſimam pestem extin-  
 " gundam, & supradictorum Electorum, &  
 " statuum concordi animo, & sententia,  
 " omnibus, & singulis supra dictis, tam Im-  
 " periali, quam hereditario jure Nobis sub-  
 " ditis, sub jam ſæpe dictis omnibus pœnis  
 " præcipimus, & mandamus, ne quis hujus-  
 " modi famosos & pestilentes libros, seu  
 " quascunque alias schedas, scripturas, ima-  
 " gines, picturas contra orthodoxam fidem,  
 " bonos mores, & id quod Sancta Romana  
 " Ecclesia haec tenus observavit: atque etiam  
 " invectivas criminationes, & ignominias,

" contra suum Pontificem, Sedem Apo-  
 " stolicam, Praelatos, Principes, Universita-  
 " tes Studiorum, & eorum facultates hone-  
 " stasque personas componere, scribere, im-  
 " primere, depingere, vendere, emere, te-  
 " nere, habere; aut imprimi describi, de-  
 " pingui, vel vendi facere, quavis arte, aut  
 " dolo audeat, aut attenter.

65 Per pensa hac Imperiali Saluberrima constitutione non dicant Germani legem Pontificiam in Germania non esse receptam, quin immo receptam, & plurimum robora-  
 tan debent affirmare Carolino mandato, quod *lucerna est, & lex lux, & via vita;*  
*Proverb. 6.*

66 Dices. Adducta Carolina constitutio solum vetat librorum Martini Lutheri lectionem, & retentionem, non autem aliorum tantum a Sede Apostolica prohibitorum librorum. Contra Lector in DEI timore radicate, lege accurate paragraphos citatos, & reperies sat clare aliorum quorumcunque librorum prohibitorum commendabilem repudiationem. Deinde Respon. Secundò per regulam Juris 34. in 6. *per speciem generi derogatur:* ergo repudiata una specie librorum prohibitorum, repudiatur totum genus libri prohibiti.

67 Probatur tertio à ratione. Lectio librorum prohibitorum, seu hæreticorum duplii lege vetatur una Divina naturali, propter legentis periculum, altera humana Pontificia, & Cæsarea ad removendum periculum etiam remotum: atqui Germani his periculis obnoxij sunt ( & quæso, quis probabit se sine periculo, aut damno animæ legere libros hæreticorum? nullus, nullus ) ergo hæ leges eosdem afficiunt.

68 Dices. Hodie conversatio Orthodoxorum cum Heterodoxis inculpata est: ergo similiter Heterodoxorum libri inculpatè legentur. Consequentia patet: idem enim est colloquium sive cum vivo, sive mortuo authore, lectio siquidem librorum est consultatio hominum inanimatorum.

69 Resp. disling. Antec. est inculpata quoad conversationem politicam & civilem Con. Antec. est inculpata quoad punctū fidei Neg. antec. hinc alter Religiosissimus simul & Augustissimus nunc Regnans Carolus VI. Rex Catholicus ( Divum Imperatorem per omnia Austriacum Divina Providentia conservet in annos nestoreos ) providè nuper prohibuit omnem concertationem quo ad fidem plebis permixtæ cum hæreticis: verbum enim nequam immutat. cor. Eccl. 37. Id ipsum pridem prohibuit Jus Canonicum cap. qui-

quiçunque. Tit. de Hæreticis in 6. ne quis  
licet de fide cum Hæreticis præsumat pu-  
blicè aut privatim disputare sub pœna ex-  
communicationis.

## *Corollaria practica.*

70 PETRUS MARCHANTIUS natione Belga, soli-  
dus, pius, ac insignis Ordinis mei  
Theologus Tract. 2. t. 2. sect. 4. q. 2. sequen-  
tem tradit regulam generalem. Ubi nullum  
est periculum legenti dictos libros, nec obe-  
dientia ad Ecclesiæ præceptum in aliquo no-  
tabiliter læditur, interdum peccatum tan-  
tum veniale est, interdum nullum.

71 Rationem hujus regulæ dat Doctor qui-  
dam suâ opinione palmarem. Probabile  
est, cessante fine legis in aliquo particulari,  
cessare etiam legis vim, & obligationem in  
illo particulari: atqui finis legis interdicen-  
tis lectionem librorum hæreticorum cessat  
respectu illius, qui ita doctus & pius, ut præ-  
varicari non possit: ergo respectu ejus ces-  
sabit etiam ipsa lex. Sic pharmacopolis præ-  
cavitur, ne venena promiscuè potentibus  
langiantur; si tamen illa vir prudens postu-  
lat, liberè porigunt; quia probè advér-  
tunt in hoc postulante cessare finem legis.

72 Deinde Germaniā ab Italia distinguere  
certè necessarium est; nam Italiæ Provinciæ

felicissimæ sunt, in quibus ad firmandum cor  
sincerum sola fides sufficit: at in istis, nempe  
Germaniæ, in plateis, in mensis, in popinis,  
in balneis petitur ratio fidei, & hæretici in  
erroribus suis nostra taciturnitate, aut etiam  
ignoratione confirmantur: non ergo foret  
absre, si viri docti, pii, & veraciter fideles, in  
quibus non latet periculum, in hæretico-  
rum libris essent eruditi, & versati.

73 At *Diana* argumenta hæc repudiatur: pri-  
mum cum distinctione, si agatur de fine  
adæquato concedit majorem; si vero de  
inadæquato, negat majorem: minorem si-  
militer distinguit, cessare in proposito casu  
finem inadæquatam concedit; cessare ve-  
ro adæquatum negat: prohibitio enim li-  
brorum hæreticorum pro fine adæquato  
duo habet, nempe articulum hæreticum, &  
pœnam in hæreticum, quâ vult obscurare,  
& abolere eorum nomina: licet ergo cesseret  
ex argumento finis unus, remanet adhuc  
alter, consequenter lex manet quo ad vim  
obligatoriam in possessione.

74 Secundū his pauculis possit enervari:  
etiam prudens taciturnitas ingerit sanum re-  
rum intellectum. In praxi Lector prudens  
attendant propriam synderesim, ac hoc solet,  
quod regula supra posita sit Viri timorati, &  
practici.

## Corollaria prædicta.

75 EX Marchant. cit. scilicet in quantitate per prudens judicium mensuranda legentes, aut retinentes libros hereticorum hæresim continentibus, aut de Religione tractantes, aut astrologiæ judiciariæ, Tamuldiscos, Cabalisticos, aut aliorum nefariorum hereticorum absque licentia, & facultate Sedis Apostolice incurruunt duo nempe peccatum mortale, & excommunicationem Bullæ Cœnæ. At ex Concilio Carthaginensi IV. can. 16. allegato à Gratiano dist. 37. Episcopus Gentilium libros non legat, Hæretorum autem perlegat pro necessitate, aut tempore.

76 Juxta Edicta Constantini, & Theodosij Imperatorum, ut improba doct. in abrogetur, nec monumentū quidem aliquod ejus relinquatur, nullatenus licet alicui personæ particulari, seu singulari, & individuæ etiam materialiter, nempe ad ornatum aut alias quamcunque causam, etiam confutandi gratiâ, libros hereticorum hæresim continentibus, aut de Religione tractantes absque Apostolica facultate retinere.

77 Id hancem licebit Communitati, Universitati Conventui hujusmodi volumina retinere, in qua viri probi, & docti repe-

riuntur, & habent per authoritatem pontificiam licentiam legendi libros prohibitos.

78 Libri hæresiarcharū, aut etiam hæreticorum damnatorū & combustorum licet de Religione, moribus, aut fide nil trahent, sed sint merè litterarij, vel historici sunt prohibiti sub peccato gravi: rationem dat *Merchant*; quamvis hæreses, aut errores per se non seminent, indirectè tamē aut mordent, aut animū fœdo aliquo vapore conspurcant, taceo, quod una historia etsi ut indifferens repræsentata plus interdum noceat, quād erronea aliqua doctrina. Modernorum tamē hæreticorum libros purè historicos, in indice librorum prohibitorum non notatos, nec eorum Authores specificè ab Ecclesia damnatos, censeo, posse legi absque criminē.

79 Liberatur etiam à peccato librum hæreticum legens Theologus Confessarius, Concionator, dum per ipsum aliqua hæresis debeat examinari, rejici, expungi, enervari pro bono alicujus; nō enim censetur pia prudensq; Mater Ecclesia illa prohibere voluisse, quæ ad laudabilem, & officij necessariam executionem pertinere dignoscuntur.

80 Tandum legentes libros quo scūnque voluntarie in notabili quantitate in indice romano legitimè prohibitos peccant mortaliter

taliter: Sed si eorumdem correctio, aut  
emendatio sit indulta, poterunt retineri.

## Controversia quarta.

### De Excommunicatione minori,

*Antiquitus, & de Jure veteri in  
varijs casibus saepe afficiebantur  
fideles excommunicatione minori:  
bodiè vero, & de Jure novo solùm  
ab eo incurritur excommunica-  
tio minor, qui extra casus ab Ec-  
clesia permisso cum nominatim,  
& publicè denuntiato, aut ab  
publicam Clerici percussionem  
Excommunicato communicat.*

**D**Ecisionis hujus ratio alia non assigna-  
tur, quam pietas Matris Ecclesiæ  
nolentis extra specificatos casus amplius vin-  
culare subjectos: siquidem Martinus V. in  
Concilio Constantiensi Extrav. ad evitan-  
dam:

dum : & Leo X. in Lateran. in duobus tantum casibus volvere, ut excommunicati excommunicatione majori vitentur, nempe nominatim denuntiati, & publici Clerici percussores : ergo qui cum his communicant, incurrit minorem excommunicationem ; si enim cum reliquis excommunicatis non prohibetur communicatio, consequitur absque timore incurriendae censuræ alicujus potest fieri communicatio.

82 Deinde : qui communicat cum excommunicato excommunicatione minori non contrahit excommunicationem minorum ; quia juxta glor. in C. excellentissimus. 11. q. 3 excommunicatio non transit in tertiam personam, si autem communicans cum excommunicato minori excommunicatione fieret excommunicatus non solum transfiret in secundam personam, quæ est ea, quæ secum communicat, sed etiam in tertiam, nimirum in eum, qui communicaret cum eo, qui cum primo communicavit.

84 Excommunicatus hac excommunicatione peccat mortaliter, si recipiat aliquod Sacramentum, vel acceptet dignitatem, vel beneficium Ecclesiasticum Cep. si celebrat. De Cler. Excom. sed non incurrit irre-

gularitatem; quia talis irregularitas à Jure non est expressa.

84 Quod si autem talis excommunicatus Sacra menta non percipiat, sed solum conferat, venialiter tantum peccat, deducunt DD. ex præ allegato cap. nam postquam in cit. cap. prius dictum fuerat, quod celebrando peccet graviter, & postea dicitur, absque addito, peccat conferendo Sacra menta Ecclesiastica, indicium manifestum est, quod graviter, seu mortaliter non peccet.

### *Corollaria practica.*

85 EX his sequitur primò: communicans cum excommunicato majori excommunicatione in crimen v. g. quia custodem violenter detinentem in publica, aut privata custodia Clericum adjuvat ad fortius custodiendum, incurrit excommunicationem majorem C. nuper. c. si concubina de Sent. Excom. 2.

86 Secundò: Incurrit excommunicatione major, quando per legem, aut hominem sub poena majoris excommunicationis vetatur communicatio, ut in Bulla Cœnæ contra receptores, defensores, fautores hæreticorum.

88 Tertio: Episcopus minore excommuni-

nica-

nicatione ligatus celebrans, & Ordines conferens dupliciter peccat mortaliter, & venialiter: mortaliter quidem, quia in missa communicat: venialiter verò, quia Ordines confert.

87 *Quartò:* Quæ sunt jurisdictionis acti-væ e.g. eligere, jurisdictionem confessarijs attribuere, &c. potest exercere excommunicatus minori excommunicatione: ratio est; quia actus jurisdictionis est quid extrinsecum à participatione Sacramentorū, quā sola excommunicatus privatur.

## De Suspensione.

Suspensionis natura delineabitur per sequentia: eam generice describunt AA. quod sit Censura Ecclesiastica propter delictum mortale, aut veniale valde dedecens in genere moris, à Jure, vel ab homine legitimè lata, privans ad tempus Clericam usu, sive exercitio Officij, vel beneficij.

## Controversia Unica.

*De Suspensione ab Officio,  
Ordine, Beneficio.*

*Suspensus ab officio, si exerceat  
officia divina, lucratur fructus*

corre-

**S**OS. + SC. correspondentes; nec videtur esse privatus voce in Capitulo; nec collatio beneficij eidem facta est omnino irrita. *Suspensus ab Ordine sacro, & bujus officium solemniter celebrans, incurrit irregularitatem.* Per se loquendo, suspensio a beneficio absolute lata comprehendit omnia beneficia ubique actu possessa; secus suspensio ab jurisdictione. Verius esse, suspensione alternativa nullum effectum produci.

### §. I.

**S**i suspensio ab Officio sit absolute latita, suspendit ab omni officio tam ordinis, quam jurisdictionis: hinc non potefit ministrare Sacra menta, non elegere, non concedere indulgentias, &c. poterit tamen recipere Sacra menta, ingredi Ecclesiam, uti jurisdictione temporali, si quam habet, &c;

a Quod

2 Quod si tamen Sacra[m]enta ministret, &c. verior habet sententia *Navar. Avil. Henr[ic]o Pal. Sanch. de Matrim. l. 3. d. 15. n. 12.* non privari ipso Jure fructibus correspondentibus, sed posse hos lucari: tum quod oppositum nullo textu sit expressum in hac materia p[ro]enal[i], & odiosa: tum quod ministerium, aut officium præstitum a suspensiō sit æquè utile fidelibus, ac præstitum a non suspensiō. Aliunde dignus est operarius mercenaria sua. Id quod confirmatur alijs casibus petitis a lucro turpi, &c.

3 Neque etiam per talem suspensionem videtur privatus voce in capitulo, ut notat *Pal. n. 9.* quia ferre suffragium in capitulo, non est officium ordinis, competit enim etiam laicis fratribus, seu Conversis, ut constat ex praxi aliquando usitata in sacra congregatiōne RR. PP. Capucinorum: nec etiam est jurisdictionis Ecclesiasticæ: siquidem etiam fœminæ vocem habent in similibus.

4 Nec denique suspensi electionem, aut collationem beneficij ipso Jure esse irritam, tamquam probabilius defendunt *Panormit. Suar. Coni. Pal. n. 3.* sed venire irritandam, vel infirmandam, prout colligitur ex *cap. ult. de Cler. Excom.*

5 Quare univerſim monent Doctores, quod  
fi

si suspensio ab officio non feratur absolutè, sed determinatè ad aliquam materiam, extra hanc non extendatur: poenæ enim non sunt extendendæ ultra proprietatem verborum. *Smar. d. 26. sect. 5.* ex qua regula.

## *Corollaria practica.*

6. Sequitur primò: in veriori sententia

*Laym. Sanch. Bonacin. d. 3. pu. 2. n. 10.*  
suspensum ab officio, non esse hoc ipsò suspensum à beneficio: nam ex Sacris Canonibus constat, has suspensiones esse distinctas ab invicem, nec necessariò, & indispensabiliter connexas.

7. Sequitur secundò: suspensum ab Ordine, non esse per hoc suspensum à Jurisdictione propter dictam rationem: hinc talis tametsi ipse nequeat esse confessarius, poterit tamen dare facultatem eligendi confessarium, &c.

8. Sequitur tertio: suspensum à Sacris Ordinibus non impediri exinde ad usum Minorum: neque enim in materia præsertim odiosa minores Ordines comprehenduntur sub sacris: quod si tamen suspensus esset absolutè ab ordine, privatus foret usu omnium Ordinum: quia in his materijs sententia indefinita æquipollit universali.

9. Qua in re *Pal. diss. 4. p. 5. §. 1. n. 13.* hanc regulam assignat: si suspensio sit ab

aliquo Ordine *speciali*, eō tantūm privabit directè, & indirectè ab altero, cuius usus annexus est priori; secūs si alterius usus ad priorem non requiratur: sic Sacerdos suspensus specialiter ab Ordine Diaconatūs privatur indirectè ab usu sacrificij: econtra suspensus specialiter ab altari, poterit ália munera Sacerdotalia exercere, nempe baptizare, absolvēre, &c.

10 Denique suspensio ab *Ordine efficit*, ut si suspensus ab Ordine *Sacro* (non à minoribus) ejus Ordinis proprium Officium solemniter (hoc est, tali ratione, quā non nisi ab insignitis eo ordine exerceri possit) exerceat, præter culpam gravem contrahat etiam irregularitatem. Cæteræ suspensiones tamen hanc irregularitatem non inducunt: neque enim incurritur irregularitas nisi in casibus jure expressis *Suar. loco cit. sect. 6.* hæc de effectibus suspensionis ab officio.

## § II.

11 Si suspensio sit à beneficio, efficit *primo*, quod non privet beneficiō, privet tamen beneficij fructibūs, & quia hæc suspensio punit, non relevat, manet tamen suspensus obligatus satisfacere Oneribus sui beneficij: quamquam fructus possit simul pers-

percipere ad se suosque alendos, si egeat:  
*Laymann cap. 1. n. 4.* quin etiam si non egeat,  
 posse eos lucrari titulō præstiti beneficij,  
 affirmant plures apud *Dian. p. 5. t. 10. R. 3.*

12 Efficit secundo: ut si sit lata absolutè,  
 comprehendat omnia beneficia ubi cunque  
 locorum possessa, nisi ex intentione profe-  
 rentis aliave circumstantia aliud colligatur:  
*Suar. I. 4. cap. 6. n. 24.* indefinita enim æqui-  
 pollet universali. Nec refert, quod benefi-  
 cia alia sint sita in aliena Dioecesi: quia sen-  
 tentia fertur in personam jus ad beneficia  
 habentem, & subditam superiori, & favet *cap.*  
*postulasti. defor. compet.* ubi deciditur, quod  
 Episcopus possit Clericum sibi subjectum  
 punire privatione beneficij alibi existentis.

13 Alter se habet in suspensione ab iuri-  
 risdictione: haec enim semper mutatur etiam  
 quo ad jus, seu potestatem pro diversitate  
 locorum: econtra jus ad beneficia diversa  
 residet in variatum in una persona, ubi cun-  
 que haec existat, videri potest *Pal. §. 2. n. 2.*  
 quamquam alij cum *Laymann. n. 7.* velint  
 suspensum ab officio vel ordine, vel jurisdi-  
 ctione prohiberi ab actibus ejusmodi Ec-  
 clesiasticis in omni loco.

14 Efficit tertio: in sententia quidē com-  
 muni teste *Conninch. d. 15. du. 2. n. 14.* ut sus-  
 pensus à beneficio reddatur inhabilis alte-

tius suscipiendi, nihilominus idem Conninch.  
*Suar.* & *Laym.* n. 3. censem, validam esse  
 ejus collationem, quamquam ope Judicis  
 veniat irritanda: etenim hæc suspensio non  
 privat jure radicali percipiendi fructus (alias  
 privaret ipso titulo beneficij posselli) sed so-  
 lùm jure proximo, libero, & expedito præ-  
 dictos fructus percipiendi.

15 Quæres *primo*. Qualem effectum pro-  
 ducat suspensio alternativa, seu disjunctiva  
 e. g. ab *Officio*, vel *beneficio*? Resp. verius mihi  
 videri, quod citatis undecim Doctoribus  
 probat *Pal.* §. 3. n. 2. nullum effectum ipso  
 jure produci, tum quod sententia incerta, &  
 indeterminata sit nulla per *L.* 3. c. de *sent.* tum  
 quod non sit assignabile tempus, quo ( ut  
 volunt *Adversarij*) censuratus alterutram  
 eligat; non ante delictum, prout constat;  
 non post delictum: quia ipso actu delicti de-  
 buisset fuisse contracta.

16 Quæres *secundo*. Utrum suspensus ab  
 officio possit licet ministrare petentiibus  
 fidelibus ea officia, à quibus est suspensus?  
 Resp. Si nondum sit denuntiatus, neque po-  
 tuit prius à suspensione absolvī, poterit licet,  
 & absque labore irregularitatis ministrare per  
 constitut. ad evitanda magis explicatam in  
 Concilio Lateranensi sub Leone X. Econtra  
 si denuntiatus esset, id ei omnino non lice-  
 ret

ret extra urgentissimam necessitatem, & secluso scandalō, tametsi ab alijs fidelibus postularetur: hæc enim petitio est iniqua, & inducens ad peccatum. *Suar. diff. 26. sec. 2.*  
*n. 7.*

17 Quæres *ultimò*. A quo tolli possit suspensio? Resp. primò: si ea lata sit tamquam censura ad corrigendam contumaciam, prout ferri solet indefinite absque temporis designatione, poterit post peractam pœnitentiam, & satisfactionem tolli ab Episcopo non obstante publicatione criminis, nisi summo Pontifici sit specialiter reservata *Suar. Avit.* *Laym. cap. 4. n. 3.* alijs tamen tali privilegio parentibus id neque in foro conscientiæ conceditur: eò quod absolutio à suspensione non debeat necessariò præmitti absolutioni à peccatis, sicut debet præmitti absolutio ab excommunicatione.

18 Resp. secundò: Si lata sit tamquam pura seu vindicativa pœna sine ullo respectu ad emendationem contumaciæ, negant Doctores apud *Jllsung* §. 3. n. 61. jure Ordinario tolli posse ab alio inferiore, quam ab ipso authore: cum enim per talem judicem sit in illa pœna determinatum tempus, nequit inferior hanc voluntatem Judicis immutare.

19 Per Tridentinum tamen *Seff. 24. cap. 6.*  
concessum est Episcopis absolvere ab omni  
suspensione, seu censura, seu poena, duino-  
do proveniat ex delicto occulto, ut notat  
*Laym. n. 4. cap. 4.* quin addunt Doctores,  
qui per privilegium certis Mendicantibus  
concessum, posse hoc ipsum eisdem effice-  
re pro foro conscientiae affirmant cum *Avil.*  
*pa. 3. disib. 6. d. 2.*

20 Forma porro absolutionis à suspen-  
sione hæc est: absolvo Te à vinculo suspen-  
sionis, quod propter tale NN. crimen in-  
curristi, & restituo Te ad executionem tui  
muneris, vel ordinis, vel ad beneficium  
tuum in nomine Patris &c. *Suar. disib. 29.*  
*sect. 3.*


### *De Interdictio.*

1 PERPERAM, & imperite nonnulli scripsere  
ante Alexandri III. Pontificatum nul-  
lam interdicti memoriam extare in Ecclesia,  
siquidem hujus censuræ vestigia videre est in  
Concilio Triburiensi *Canone 32.* & Cabilo-  
nensi secundo *Can. 26.* definitur: *quod sit*  
*censura Ecclesiastica, quâ certis personis locisue*  
*interdicitur, & prohibetur divinorum officio-*  
*rum celebratio publica, & Sacramentorum ad-*  
*ministratio, quæ ad nascentium, vel morien-*  
*tium salutem necessaria non sunt, & Ecclesias-*  
*istica sepultura.*

Aliud

Aliud est *Locale*, aliud *personale*: locale directe fertur in loca, in quibus divinorum officiorum celebratio, & Sacramentorum confectio, administratio, & Ecclesiastica sepultura prohibentur. Personale immediate dirigitur ad personas, eisque interdicit certo quodam ufu divinarum rerum; & differt ab altero, quod certo loco non definiatur: personae enim simpliciter interdictae prohibitus est certus rerum divinarum usus ubicumque sit.

2 Utrumque subdividitur in *generale*, *speciale*, & *individuum*, seu *singulare*: generale interdictum est, dum totalis aliqua generalitas interdicitur, ut si in interdicto locali Regnum totum, Provincia, Civitas, Castellum interdicitur; & in interdicto personali omnes incolae unius civitatis, aut regni interdicantur: in mixto, si civitas cum incolis simul interdicto subjaceant. Speciale dicitur, quando pars tantum alicujus loci, aut communis interdicitur: in mixto si Ecclesia specialis, vel collegium cum certis personis interdicitur. Individuum seu singulare est, quod personam aliquam, aut personas disparatas tantum afficit.



# Controversia unica.

## De administratione Sacramentorum tempore interdicti.

**T**empore interdicti localis potest pueris, & adultis ministrari etiam solemniter Baptismus, & Confirmatio uti & Viaticum Sacrum; non tamen extrema unctionio, & neque sepultura laicis: celebrari tamen potest matrimonium; at sine benedictione nuptiali: praetera infestis, per cap. alma mater. de sent. Excom. in 6. exceptis, potest etiam Eucharistia ministrari cum certis conditionibus, & cum iisdem etiam missa per singulas hebdomadas una.

3 Prīmō: usum tam activum, quām passīvum Sacramentorum prohiberi per interdictum exceptō Baptismō tam infantium, quām adultorum ob necessitatem hujus sacramenti, definita est ipso iure sententia C. quoniam. de sent. Excom. Posse præterea confirmationem tamquam accessorium, completivum, seu perfectivum Baptismi conferri, docetur communiter: utrumque autem potest solemniter ministrari, ritu videlicet consueto *Suar. diff. 33. sed. 1.*

4 Secundō: Eucharistiam, seu Viaticum non negari decedentibus contritis, & poenitentibus, habetur *Cap. perutis. eod. & cap. quod in te. de Penit.* & Remif. conceditur præterea eum in finem solemnitas confueta in deferendo tanto tamque augustissimo Sacramento.

5 Tertiō: prohibetur tam per cit. *cap. quod in te*, extrema unctio post collatam Eucharistiam, neque enim censetur Ecclesia conferre velle minus, dum contulit manus, alias vis censuræ elideretur: negatur præterea laicis sepultura Ecclesiastica. Clericis vero, qui servarunt interdictum per *cap. cit. conedit Clemens III.* posse in loco sacro sepeliri sine tamen campanarum pulsatione, & cessantibus omnibus solemnitatibus, &c. porto Clericorum appellatione-

quoad hunc effectum intelliguntur omnes personæ Ecclesiasticæ ad aliquod Ecclesiæ servitium applicatæ.

6 Quartò : non suspenditur celebratio matrimonij, ut rectè contra *Smar. Sanch. l. 7. de Matrim. d. 8. n. 2.* defendit ex cap. *Capellanus. deferijs* : quia, ut argumentatur *Laym.* ministri sunt ipsi contrahentes, aut ut vult *Pal.* quia est simul contractus naturalis : cui per accidens annexa est ratio sacramenti; per interdictum autem prohibentur ea solum, quæ à ministris Ecclesiæ duntaxat dispensantur. In tali tamen matrimonio non est danda benedictio nuptialis, hæc enim est unum ex beneficijs divinis per interdictum prohibitis.

7 Quintò denique prohibentur conferri Sacra menta Ordinis, quamquam etiam *Laym. calum excipiat necessitatis*, aut magna penuria ministrorum : advertit tamen *Sair. nunquam aut raro eum casum even turum.*

8 Sextò : possunt tamen interdicti tempore ingredi Ecclesiam causâ orationis fundandæ, quo tempore in ea non peragunrur divina officia: quin etiam possunt ad Conclonem convocari per pulsum campanæ, nec prohibetur dari signum, ut moris est, ad Salutandam Beat. Virginem MARIAM.

9 Septimò ; illud speciale statutum est  
*Cap. alma mater. de Sent. Excom. in 6.* quô  
 Bonifacius ea , quæ per cit. cap. concede-  
 bantur extendit *primo* : ut tempore inter-  
 dicti licetè valeant quotidiè missas , & alia  
 divina officia in Ecclesijs , & monasterijs ce-  
 lebrare, januis tamen clausis, voce submissa,  
 non pulsatis ad convocabandum populum  
 campanis , & exclusis excommunicatis , ac  
 personaliter interdictis , quin etiam exclusis  
 alijs laicis privilegium non habentibus , ut  
 notat *Laym.* cum *Tamb.* l. 10. t. 3. cap. 1. §. 3.  
 n. 5.

10 Extendit secundò : quod tempore  
 interdicti in festo Natalis Domini, Resurre-  
 ctionis, Pentecostes ( & quidem cum *Tamb.*  
 & *Dian.* p. 5. tr. 10. R. 51. comprehensis etiam  
 duobus subsequentibus festis tamquam per-  
 tinentibus) ad eandem solemnitatem horum  
 trium festorum ) item assumptionis Beatissi-  
 mæ Virginis, & festo Corporis Christi cum  
 tota ejus octava ex concessione Martini V.  
 & Eugenij IV. divina officia publicè ita ce-  
 lebrari possint, ac si interdictum locale nul-  
 lum esset, exclusis tamen excommunicatis;  
 at interdictis quidem admissis, sed ea lege,  
 ut, qui causam interdicto dederunt, non ap-  
 propinquent ad altare.

11 Addit *Suar.* cum alijs triginta tribus Doctoribus, posle etiam dictis diebus sacram communionem distribui: tum quod *participatio* ( quo verbô utitur Summus Pontifex ) non solam assistentiam nudam, sed etiam communionem significet: tum quod Jure antiquo licebat tempore divinorum sumere etiam panem Angelicum. Denique non pauci DD. cum *Ronaci. d. 6. p. 5. n. 7.* præcitatîs diebus etiam sepultaram sacram cum omnibus solemnitatibus concedunt non improbabiliter, sed probabilius negant *Suar. Conninch. Pal. disp. 5. pu. 4. n. 5.* quia Sepultura Ecclesiastica non computatur inter officia divina, quæ sola concedit Summus Pontifex.

12 At Quæres. Quid concedatur tempore Interdicti generalis localis alijs diebus extra festa illa enumerata n. 11. ? Resp. per cap. permittimus. cap. quod in te. concedi Jure antiquo Parochis, & Rectoribus Ecclesiarum semel in hebdomada missam celebrare pro conficienda Sacra Eucharistia, cuius copia si deficeret, poterit etiam altera missa dici servatis supradictis conditionibus n. 9. Secundò possunt Clerici in Ecclesia legere horas Canonicas sine cantu, nequè plures simul quam tres.

13 Quæres secundò. Quid tempore Interdicti liceat per constitutionem *ad evitanda*? Resp. cum *Tamb.* c. 2. fideles ( sive Clerici sint, sive laici ) possunt hodierno Jure licetè sepelire Interdictos in loco sacro , dummodo non sint nominatim tales denuntiati, nec locus ille sacer nominatim denuntiatus ut Interdictus : pariter possunt Clerici coram illis celebrare divina officia, dummodo non sint denuntiati ut tales. At verò si interdicti ipsi , quamquam non denuntiati se ingerant, peccabunt.

14 Quæres tertio. An communicate interdicta , & denuntiata ut tali , vitandi sint singuli, non tantum tanquam pars communitatis, sed etiam tanquam personæ privatae ? Affirmant *Suar.* *Laym.* *Coninc.* *Pal.* n. 10. & hanc communiorem vocat *Tamb.* n. 7. Negant *Sa.* *Navar.* & probabilem vocat *Pal.* cit. *Tamb.* n. 9. probabiliorem, quia personæ non interdicuntur quæ tales, sed relatè ad totum, quod constituunt : ergò interdicuntur solum relatè ad actiones communitatis.

## De Irregularitate.

**I**rrregularitas ( à privatione , aut negatione regulæ sic diæta ) in numerum quidem censurarum , aut pænarum perse non venit: est quippe impedimentum canonicum primario

mariò impediens susceptionem Ecclesiastici Ordinis, secundariò verò Usū jam suscep- ti: neque incurritur propter contumaciam fidelis inobedientis præcepto Ecclesiæ, sed aut Jure sic simpliciter statuente, aut propter maculam, indecentiam, vel defectum (sæpe etiam inculpabilem in genere moris) repugnantem dignitati, & munijs statūs Ecclesiastici, & Regalis Sacerdotij. Cum tamē affinitatem habeat cum censuris, & pœnis Ecclesiasticis, idcirco celebriores ea super re controverſiæ hic omittendæ non sunt, relictis levioribus, cum ampliorem tractatum angustiæ præsentium foliorum non concedant. Porrò quod inter AA. dilceptatur potissimum, tribus controversiis proponimus.

Nullus Judex, vel Magister, seu Doctor in dubio debet aliquem judicare irregularē tradit Petrus Marchant. Tr. 5. tit. 1. q. 7. n. 1. ex Angelo de Clavasio. ac deducitur arg. De Pœnit. d. 1. Can. Pœna (sicut habetur ff. t. 19. L. 42.) legum interpretatione molliendæ sunt potius, quam exasperandæ. ratio; quia pœnæ sunt restringendæ tum quia Reus possidet commoditatem contra transgressionem legis non clare probatam: tum quia quando agitur de impositione pœnarum, semper in favorem Rei judicandum, & pronuntian- dum

OS X SO  
dum est: prout id ipsum notatur supra de  
Censuris in genere Controver. 4. §. 4. n. 76.

## Controversia prima.

### De Irregularitate ex defectu Lenitatis.

§. I.

**1** HÆC oritur ex defectu perfectæ man-  
suetudinis in ijs, qui directe, vel in-  
directe ad alicujus mortem, vel mutilatio-  
nem concurrunt ex officio suo, seu ut vo-  
camus, in causis Sanguinis: nequè enim tales  
repræsentare possunt lenitatem, & mansue-  
tudinem Christi Domini, qui non aliorum  
sanguinem fudit, sed suum fundi permisit in  
redemptionem mundi: hinc quamquam  
nec Judex, nec Cooperatores ullum peccatū  
admittant, maculam tamen exinde, & in-  
dignitatem ad Altaris ministerium contra-  
hunc per cap. suscepimus. de homicidio.

**2** Pro quibus intelligendis notat *Pal.*  
*pu. 14. §. 4.* huic irregularitati non esse locum,  
nisi ex conursu ad mortem seu, mutilatio-  
nem authoritate *publica* præstito: quia mi-  
nistris duntaxat publicis hæc irregularitas  
inducitur *Can. 1. d. 51. cap. sent. ne Clerici, &c.*

Capa

*Cap. Prælatis de homicid. in 6.* hinc qui concurrit tamquam causa *privata*, non incurrit haec irregularitatem juxta doctrinam triginta Doctorum, quos citat. *Dian. p. 11. tr. 2.*  
*R. 631.*

3 Notat secundò idem *Dian. p. 12. tr. 2.*  
*Ref. 5.* referens viginti sex Doctores, nec publicos ministros incurrere irregularitatem, si sententia fuerit impedita ex aliquo accidenti, & non data executioni: quamquam *Pirrb. Corad.* in praxi dispen. *l. 5. c. 2.* testetur, frequenter petitam, & concessam fuisse Romæ dispensationem etiam pro casu, quo per Judicem vel ministros non steterit, effectum non fuisse secutum: respondet tamen *Dian.* id factum, & concessum fuisse non tamquam necessarium, sed ad majorem quietem, & securitatem conscientiæ.

4 Notat tertio *Tamb.* nomine *mutilationis* hoc loco venire abscissionem seu separationem (non solam debilitationem, aut inhabilitationem) membra humani. Est autem membrum Corporis animati pars gerens proprium ac distinctum munus e. g. oculi, nares, aures, lingua, manus, virilia, pedes, mamilla fœminea (quamquam hoc neget *Dian. p. 2.*) econtra verò non judicari propriè membra censet *Tamb. n. 8.* Capillos, barbam, digitum, dentes, labia,

nervos, palpebras, auriculam, id est, externam cartilaginem, nasum (non tamen nares, id est, totum organum olfaciendi) quod si pars membra tantum amputetur, putat tunc solum incurri irregularitatem, quando ratione talis mutilationis id quod remanet, non potest dici membrum, seu quando absolute non potest habere usum, ad quem ejusmodi membrum est a natura institutum.

5 Notat quartò Laym. L.3. tr. 3. p. 3. cap. 7. ad incurriendam ex hoc capite irregularitatem, necesse esse, ut cooperatio sit aliquo modo notabilis, & non admodum remota, aut per accidens: quare irregulares non sunt, qui furcam aedificarunt, funes conferunt &c. secus qui scalas applicat funem defert ad suspendendum:

### Corollaria practica

6 Ex his pro praxi sequitur primo: irregularēm esse Judicem in causa sanguinis, vel inutilizationis, testem, accusatorem, Advocatum, Consiliarium, Notarium, Tortores, Satellites, Carnificem, Praeconem praecedentem & sententiam illius proclamantem. At non populū, vel Clericum præcisē ad spectandum assistentem: quin docet *Suar. disp. 47. sect. 4.* si Clericus ex curiositate spe-

Etet, culpam gravem non incurrere, imò secundum *Dian.* p. 4. tr. 7. R. 35. nec veniale in-

7 Sequitur secundò ex *Petro Marchant.* tr. 5. tit. 1. q. 7. n. 4. cudentes gladios, aut vendentes, et si sint instrumenta, quibus occiditur homo, non sunt irregulares: nec pulsans campana, qua ad arma convocatur populus, & à concurrentibus occiduntur aliqui, non est irregularis; siquidem pulsatio ista respectu occisionis est causa remota, & illa potius convocatur plebs ad se tuendum, & consulendum indemnitati propriæ, ac repellendi vim, quam ut occidat hominem: oportet enim, ut quis sit irregularis, quod causa homicidij sit propinqua.

8 Sequitur tertio: non fieri irregularem eum, qui monet Reum, ut ascendat scallas; nec confessarium, qui instigat equum, cui Reus insidet, aut hortatur Carnificem, ut munus suum exequatur, aut orat Judicem, ut Reus: per breviorēm viam ducatur, idque non tantum ratione indeliberationis, vel parvitaris materiæ, ut tradit *Laym.* sed etiam propter ea, quæ supra ex *Palud.* notavimus.

9 Incidenter hic noto, quod allegatis pluribus notavit *Dian.* posse Sacerdotes ministrantes infirmis sine periculo irregularitatis vertere ægrum ex laterè ad latus, vel transmutare

mutare de lecto ad lectum, vel cibum, aut  
potum porrigere, licet ex inde mors citius  
sequatur; dumodo haec omnia cum cautela,  
quæ communiter à prudentibus adhibetur,  
fiant: Secùs verò, si medicinam infirmo ex-  
hibeant maximè contra præscriptum Medi-  
ci, ex qua mors vel sequitur, vel notabilitet  
acceleratur: juvant enim sic actione positi-  
va, & directa ad mortem, nisi fortè, ut fieri  
potest, & factum est, excusat ignorantia,  
& bona fides *Pal. p. 15. §. 5. n. 6.*

10 Sequitur quartò: multò minùs irregu-  
larem effici Sacerdotem, qui, ut flagitia  
impedit, suadet Principi, ut legem mortis  
ferat contra criminum Reos, nec Confessari-  
um, qui renuit in confessione absolvere  
Judicem non volentem flagitiosos in *genere*  
damnare capit is juxta legem. Addit *Dian.*  
*cit. ex Vasq., & Turian.* posse confessarium  
interrogatum de Reo particulari responde-  
re ( sine nota irregularitatis ) adesse obliga-  
tionem eum occidendi, aut mutilandi se-  
cundùm legem.

11 Sequitur quinto, ex *Giballino* apud  
*Tamb.* qui detegit malefactorem, vel clamat  
adesse latronem, vel excitat vicinos in fu-  
rem, quod fit, ut fur capiatur à Judice, & con-  
demnetur, non fieri talem irregularēm; nisi  
quando sic manifestans esset simul accusa-

tor, vel testis necessarius ad cognitionem causæ, vel id faceret tamquam constitutus **ex officio**.

12 Sequitur *sextò*: si accusator sit in propria causa, vel in rebus suorum, & expressè protestetur, se nullam intendere pœnam mortis, vel mutilationis, non incurret irregularitatem *cap. Prælatis. de homicid. in 6.* Protestatio enim facit, ut dicatur agere non criminaliter, sed civiliter. Atque tali protestatione præmissa possunt Clerici esse accusatores.

13 Sequitur *septimo ex cit. Marchant.* Qui est in causa levissima homicidij, non efficitur irregularis *ex cap. quasitum. de Pœnit.* & *remission. in quod Panormitanus notat, levissima culpa in homicidio non inducit irregularitatem, quod tene menti, inquit, & procedit ex textu, si nempe sine tactu, & sine alia procuratione homicidium accidit.* Monet itaque doctissimus Marchantius, ne fingantur nugaciter ex levissimis actionibus irregularitates, & multiplicentur.

## 7 §. II.

14 Quæres *primo*. An Judex pluribus sententijs plures condemnans totidem incurrat irregularitates? Resp. cum Tamb. affirmativò: imò *Ugolin.* totidem cen-

censet irregularitates incurri, quot personas etiam unica sententia condemnat, cui subscriptit *Tamb.* n. 18. si unica sit delicti causa, unus locus, unum tempus, quo plures simul plectuntur.

15 Quæres secundò. Utrum Episcopus possit dispensare super irregularitate ex defectu lenitatis? Affirmat *Barbos.* multis citatis p. 2. alleg. 39. n. 47. Resp. cum *Tamb.* pluribusque alijs apud & cum *Garzia de Benef.* p. 7. c. 11. n. 40. negativè; cum enim Tridentinum Ses. 24. c. 6. solum disponat de irregularitate ex delicto homicidij, reliquit irregularitatem ex occisione justa dispositioni antiquorum Canonum, per quos ea potestas soli Pontifici reservatur. Possunt tamen Episcopi dispensare super irregularitate ex mutilatione occulta sui, vel alterius, ut docetur communissimè cum *Tamb.* loc. cit. & *Dian.* p. 4. t. 2. R. 11.

16 Quæres tertio. Utrum invasus injustè, & invasorem occidens cum moderamine inculpatæ tutelæ efficiatur irregularis? Resp. negativè per *cap.* in *Clement.* Si furiosus. de homicidio. quare Tridentinum Ses. 14. cap. 7. communiter explicatur cum *Barbos.* quod agat de eo, qui in se defendendo excessit moderamen inculpatæ tutelæ, talis enim fit irregularis, taliter tamen irregularitate, quæ ab Episcopo dispensari possit.

Quæ-

**Quæres quartò.** An pugnans in bello *de-  
fensivo* pro salute patriæ, vel zelo fidei, ibi-  
démque occidens, vel mutilans incurrat ir-  
regularitatem? Negat *Tamb. cap. 15. §. 14 n. 2.*  
& pluribus relatis *Dian. p. 9. t. 9. R. 8.* sed obstat  
praxis; refert enim Fagnanus in *cap. petitio  
de homicidio. n. 5.* fuisse à summo Pontifice  
commissum Nuncio Portugalliae, ut dispen-  
saret cum Ecclesiasticis, qui in casu inevita-  
bilis necessitatis infideles, vel hæreticos oc-  
ciderunt, vel mutilarunt, defendendo pa-  
triām. Deinde sacra Congregatio Conci-  
lij in una Sagrabiensi die 17. Novembris  
1685. respondit, Canonicum Sagabriensem,  
à quo in defensione patriæ, & fidei occisus  
fuit vexillifer turca, incurrisse irregularita-  
tem, & opus dispensatione cum eo fuisse.  
Nec argumentum à prioris quæstionis re-  
sponsione duci potest: dispar enim est ratio;  
in præsenti quippe casu voluntariè procedit  
talis ad bellum pugnandi causa, sique vo-  
luntariè fundit sanguinem humanum, non  
sic in priori.

**18 Quæres quintò.** An Clericus exercens  
artem chirurgiæ sit irregularis? Resp. affir-  
mativè per *cap. senten.* Ne Clerici vel Monach.  
*cap. tua nos. de homicidio.* Videri tamen potest  
*Dian. pa. 4. tr. 2. R. 23.* Laicus præterea, qui  
etiam curam exercuit, qui vult promoveri ad

Or -

Ordines, ex stylo curiae Romanae debet petere dispensationem; quia censetur irregularis teste Corad. l. 1. cap. 3. n. 1. & 2.

**19.** Quæres sexto. An Clericus, aut Religiosus adjuvans chirurgum ad abscissionem membra, quod arte chirurgiæ debet abscindi, incurrat irregularitatem? Resp. negativè: tum quia nullo canone id exprimitur, & irregularitas haud contrahitur, nisi in casibus à Jure expressis: tum quia per mutilationem membra sanitatis gratia factam in adjuvante non notatur specialis lenitatis defectus; non enim is agit mutilationem nec physicè, nec moraliter.

## Controversia secunda.

### *De Irregularitate ex delicto in Communi.*

**20.** Irregularitatem ex delicto non contrahi per solum actum internum, sed necessariò requiri externum, consummatum, ac perfectum secundùm proprietatem verborum Canonis irregularitatem inducentis, constat ex dictis. Adde, nec incurri propter delictum tantum veniale, prout cum omnibus sentit Layman. l. 1. tr. 5. pa. 5. cap. x.

n. 4. gravissimum enim malum est irregularitas: quare si quappiam circumstantia excusat delictum a mortali, non incurretur irregularitas ex delicto *Dian.* communiter receptus *pa. 4. tr. 4. R. 31.* hinc

21 Quæres primo. An ob causam dubiam censendus sis irregularis? Resp. primo: in dubio *Juris*, hoc est, dum dubitas, an tali factio imposita sit a Jure irregularitas, probabilior sententia hebet, te non esse reputandum irregularem: nam per *cap. 15. qui. de sent.* *Excom in 6.* ob nullum factum incurritur irregularitas, nisi in jure sit expressum: at respectu illius, qui post diligentem inquisitionem dubitat, an tali facto annexatur Jure irregularitas, non est illa in jure expressa: ergo. Deinde omnia Jura etiam ut consona juri naturali clamant, in dubio delicto absolvendum esse reum, adeo ut sola negatio probationis in auctore sit causa sufficiens absolvendi Reum: ergo ab hac regula sine aperto contrario textu non est recedendum: hujus sententiæ patroni sunt *Suar. Sanch.* aliique cum *Pal. disp. 6. pu. 1. §. 3. n. 3.* cum quibus.

22 Resp. secundo excepto casu homicidij etiam in dubio facti non es censendus irregularis: ratio primi *cap. ad audiencem. cap. significasti. cap. penult. de homicidio*: ratio secundi deducitur ex ijs, quæ antea de dubio

Ju-

Juris diximus: & confirmatur; quia Jura  
solum calum homicidij in dubio excipiunt:  
ergo haec irregularitas sine aperto textu non  
potest ad alios casus extendi. Haec in sen-  
tentia probabiliori, quamvis contrarium  
alij cum *Navar. Cavar. Vasq.* valde probabi-  
liter defendant.

23 Quæres secundò. An ignorans alicui  
delicto impositam esse irregularitatem ex-  
cuseatur ab illa? Excusari docent *Sanch. L. 9.*  
*de Matrim. disp. 33. n. 17.* & 19. *Coninç de Sa-*  
*ceramentis disp. 18. dub. 4. n. 19.* & 31. dummodo  
ignorantia non sit crassa, & supina: alij ecor-  
tra excipiunt irregularitatem ex homicidio,  
quippe quæ non imponitur tamquam pura  
pœna, sed præcipue propter defectum leni-  
tatis. His dum subscriptit *Dian. pa. 4. tr. 2.*  
*R. 36.* addit, probabilissimam, esse senten-  
tiam Sanchez quo ad irregularitates alias,  
quæ sunt impositæ in puram pœnam delicti.  
Deinde docet *Laym. cap. 2. n. 2.* ad irregula-  
ritates, quæ ex delicto oriuntur, requiri do-  
lum, vel culpam latam, ideoque ignorantiam  
quamcunque, si crassa non sit, excusare.  
Denique videri potest *Pal. disp. 6. pu. 6. n. 3.*  
ubi relatis multis docet tamquam probabi-  
le, quod ignorans probabiliter pœnam ir-  
regularitatis delicto esse impositam excu-  
setur ab hac pœna, quamvis fateatur oppo-

sitam esse velut communem , & in praxi  
receptam.

## Controversia Tertia. *De Irregularitate ex homicidio voluntario.*

**C**laritatis gratiâ quæstionem multis nodis  
implexam explicabo per divisionem ho-  
mocidij in casuale, morale, physicum,

### §. I.

#### *Homicidium casuale.*

**24** PRIMÒ itaque *casuale simpliciter* dici-  
tur, quod casu, idest, præter om-  
nem intentionem occidentis fit ex opere  
tali, ex quo vel omnino per accidens, vel  
tantum interdum solet sequi occisio, quod  
postremum dicitur *mixtum casuale*. Hoc  
porro opus vel est licitum, vel illicitum vel  
omissio alicujus operis: de his.

25 Regulam primam dat *Tamb. l. 10.*  
*¶. 4. cap. 15. §. 2. n. 6.* Si das operam licitæ  
rei, & debitam moralem diligentiam ad hi-  
bæs, ne quis offendatur; ex secula deinde  
occisione nec peccas, nec incurris irregu-  
laritatem, secùs si periculum prævideas, de-  
bitamque diligentiam omittas.

## Corollaria practica.

**26** EX quo sequitur primo. Si e. g. te-  
ctum domūs destruas, & omnem  
moralem diligentiam adhibeas clāmāndo,  
ut sibi quilibet caveat à projectione tra-  
bium, &c. Non eris irregularis, si quispiam  
præter tuam intentionem occidatur.

**27** Sequitur secundū. Si nulla ratione peri-  
culum offensionis cuiquam prævidere po-  
teras, nullam pariter culpam, vel peñam  
contrahes ex subsecuta offensione.

**28** Ex his poterunt explicari varij casus  
resoluti præsertim cap. Presbyter. cap. Dile-  
ctus. de homicidio. in primo à Sacerdotio re-  
movetur Presbyter per irregularitem in-  
curlam ex homicidio casuali, sed culpabili,  
quia in modo excessit, legatur textus. In  
secundo vero capitulo homicidium casuale  
non imputatur ei, qui illud patravit, quan-  
doquidem operam rei licitæ dedit, nec fuit  
inculpa.

## Secunda Regula.

**29** SI vacas operi illico in alijs materijs  
( exceptā materiā homicidij, quam-  
quam neque hanc Tamb. excipiat n. 12. ) &  
debitam diligentiam ad præcavendum ho-  
mocidium adhibuisti, probabilius est, te non  
in-

incurrisse irregularitatem, sic *Pal.* cum multis  
*ph.* 15. §. 4. n. 5. quare si actiones illicitæ  
 non sint de se periculosaæ, & mortis induc-  
 tivæ, ut raro exerceri non possint, quin se-  
 quatur homicidium, non incurretur irregu-  
 laritas, dumodo debita diligentia adhibe-  
 tur ad id præcavendum.

### *Corollaria practica.*

30 EX quo sequitur *primo*. Ebrius etiam  
 cum culpa mortali, qui in ebrieta-  
 te occidit hominem, non incurrerit irregu-  
 laritatem, dumodò non adverterit sanæ men-  
 tis, quod se periculo occidendi exponat,  
 aut debitam diligentiam adhibuerit præca-  
 vendi periculum.

31 Sequitur *secundò* quamquam cum  
*Laym.* oppositam multi doceant, valde ta-  
 men probabilis est opinio *Suarez.* *disp.* 46.  
*fest.* 6. n. 29. Si vulneratus levi, & non le-  
 thali vulnere moriatur ex sua intemperan-  
 tia, vel ex negligentia Medici, verberans  
 non incurret irregularitatem: néque enim  
 vulnus tale fuit causa mortis.

32 Sequitur *tertiò*. Econtra adulteri  
 temere ad alienam accedens, & debitam dili-  
 gentiam non adhibens ad præcavendum  
 mortis periculum, si maritum aggredien-  
 tem interficiat in sui, vel uxoris defensio-  
 nem,

nem , efficitur irregularis : sicut si contumelijs aliquem provocares , credens inde accepturum occasionem ad te occidendum , quem deinde aggredientem occideres : jam enim es causa iniqua mortis , atque hoc quidem in sententia communiori , quamvis ab irregularitate excusent alij cum *Lessio L.2.* cap. 9. n. 105. latè *Tamb.* toto §. 5.

### *Tertia Regula.*

33 **S**i te purè negativè habeas , non impediendo homicidium , ita ut omissione illa sit solùm contra *Charitatem* , erit quidem peccatum mortale , sed non incurretur irregularitas ; secùs si omissione illa sit contra *justitiam* , quā quis ex officio aut stipendio tenetur alterum defendere à morte , vel mutilatione : sic cum pluribus *Tamb.* n. 37. at verò in neutro casu incurri irregularitatem docet velut probabile cum *Vasq.* *Dian.* tr. 4. p. 2. R. 7.

### *§. II.*

#### *Homicidium morale.*

34 **H**oc comprehendit mandantem , consilientem , faventem , impellentem , &c. quod pro objecto habere potest vel immediatè ipsum homicidium , vel mediatè , nimis aliud aliud , ex quo per accieens

Iequitur homicidium , & hoc postremum pertinet ad homicidium casuale, quod pau-  
lo ante explicatum est, v. g. mandas alicui, ut natet pet Nauportum, in quo per acci-  
dens submergitur , & de hoc discurrendum  
est secundum regulas superius adductas :  
de primo autem.

35 Regula sit, quicunque præcipiendo,  
consulendo, hortando, vel aliò quovis mo-  
do inducit alterum ad actum aliquem, qui  
cognoscitur conjungi cum periculo mortis,  
vel mutilationis, erit irregularis secuta mor-  
te vel mutilatione, quando non cavit suffi-  
cientur, id est, secundum circumstantias  
cautelæ debitæ secundum prudentis viri  
arbitrium, secus si vel nullum periculum  
mortis ( excepta materia occisiva, seu pec-  
cati homicidij in sententia *Suar. diff. 45.*  
*sec. 2.*) prudenter suspicari potuit, aut suf-  
ficienter cavit: ex qua regula plures casus  
resolvit *Tamb. §. 3. n. 2.*

36 Alterum morale est directè volitum  
homicidium vel mandando, consulendo,  
vel alio modo cooperando: & per hoc in-  
curri irregularitatem, habet apertus textus  
*Cap. sicut dignum. cap. Significasti. De ho-*  
*micio. Nec sufficit simpliciter revocare*  
*mandatum, aut consilium, nisi simul sit re-*  
*vocatio efficax ante ejus executionem.*

37 In dubio porrò, an is, cui daturum est consilium, sine eo, delictum esset committurus, potius præsumendum est, sine consilio non facturum; quia in dubio nemo præsumit  
delictum commissurus *L. merito. ff.*  
*pro Socio.*, consequenter consulens in tali dubio irregularis censembitur.

38 At consulens minus malū v. g. amputationem manus ei, qui ab solutè vult occidere hominem, & quem ab homicidio alia via avertere non potest, minime, efficitur irregularis; siquidem tale consilium non est causa moralis amputatæ manus, quippe ipsi consulenti haud est voluntaria, sed potius est causa, ne fiat homicidium.

39 Ratihabitio, approbatio patrati homicidij, absque tamen ulla cooperatione ratihabentis, non reddit irregularem ratihabentem, hinc recipiens, occultans, defendens homicidam, aut ei aliquid donans propter eadem factam, non incurrit irregularitatem, quia hi actus cum homicidium subsequuntur nequeunt dici illius causa moralis: ergo à ratihabente nullo Jure contrahitur irregularitas.

40 Hac ratione motus resolvi aliquando propositum casum in favorem ejus, qui in animo gaudebat de occisione inimici, quam gaudens inferendam per sepe medi-

tabatur, immo opportunitatem quærebat, sed ab alio accidit, cum quo nec pactum habuit, nec ei consilium dedit, minus mandatum, ac talem pronuntiavi ab irregularitate quidem immunem, sed non a mortali peccato.

41 Quæres *primo*. Flavius mandat Cajo, ut occidat Sempronium, Causus verò occidit Julium: est ne Flavius irregularis? affirmat communis teste *Pal. pu. 15. §. 2. n. 5.* non quidē vi homicidij moralis directi, sed moralis casualis: Flavius quippe tamquam causa voluntaria constituit Cajum in eo periculo, ut occideret Julium. Negat econtra *Tomb. §. 7. n. 29.* addens apud *Farinas.* extare talēm declarationem Cardinalium.

42 Quæres *secundò*. Maurus Sempronio dat consilium, ut potius se exponat mortis periculo, quam cum aliquali ignominia recedat a furia persequentium Sempronium: an secuta morte Sempronij Maurus fiat irregularis? Resp. ita rectè videri: ratio est; quia exponens se periculo mortis temerariè, & absque honesta ratione, secuta morte, homicida sui est: ergo ad hujusmodi periculum suadens seu consulens alterius homicida moralis erit: atqui homicida moralis irregularitatem incurrit: ergo Maurus sic consulens irregularis erit secuta morte Sempronij.

43 Dux absque honesta ratione: nam qui consulit alteri, ut moriatur pro fide, pro bono publico, pro justa patriæ defensione, non incurrit irregularitatem; suadet enim actus heroicis ex honestissima causa. Præterea deducit *Avila* secl. 2. dub. 5. quod amicus non peccet, nec irregularitatem incurret liberans cum periculo propriæ vitæ amicum; quia nec directè, nec indirectè intendit consulto mortem, sed magis periclitanti, ferri subsidium, ita nec consulens.

44 Quæres tertio. An iij, qui assistunt, aut hortantur milites ad strenuò pugnandum, incurvant irregularitatem? Resp. negativè, si bellum sit justum, etiamsi aggressivum, & adhortatio fiat absque specifica intentione sanguinis in particulari effundendi, sic enim hortari aliud non est, quam animare milites, vel ad officij sui partes persolven das, vel ad repellendum hostem. Cæterum Clerici possunt absque irregularitatis timore comitari exercitum ad ministranda militibus sacramenta, tractandam pacem, aliaque non habentia respectum ad pugnam.

45 Quæres quartò. Plures simul opem ferentes occidunt quempiam, quorum aliqui nec lethale vulnus intulerunt; an omnes fiant irregulares? Resp. Affirmativè, quando illi plures præmisso consilio, & ex

proposito aggrediuntur aliquem: ratio est; quia omnes hi sunt una causa moralis patrati homicidij, & associatio auget occidentis animum, & violentiam.

46 Circa rixantes disponit statutum Concilij Vermerianensis relatum c. ult. cau. xxiv. q. 8. "Si quatuor, aut quinque homines, seu etiam plures contra unum hominem rixati fuerint, & ab his vulneratus, mortuus fuerit, quicunque eorum plagam ei imposuit, secundum statuta canōnum, ut homicida judicetur, reliqui autem, qui eum impugnabant, volentes eum interficere, similiter pœniteant. Qui vero nec eum impugnabant, nec vulnerabant, nec consilio, nec auxilio cooperatores fuerunt, sed tantum adfuerunt extra noxam sint. Quin imo & illi fiuntirregulares, qui occiso nullum quidem infixerunt vulnus, bene vero comitantur homicidam, eique assistunt: hi enim impugnant, homicidam ad patrandam cædam comitantur, ac assistunt, quæ actiones sufficientem indicant cooperationem, adeoque etiam incursum irregularitatem morte secura.

47 Notat denique *Pal.* §. 7. n. 7. super irregularitate ex homicidio casuali, & mutilatione, posse per communionem sententiam dispensare Episcopum, dummodo sit occultum:

tum: nam Tridentinum *Seff.* 24. *cap.* 6. excepit solum homicidium voluntarium, quod *Pal.* cum *Tamb.* §. 17. n. 10. non putat extendendum esse ad casuale: subscribit cum alijs *Barbos.* loc. cit. n. 48. additque, idem posse Episcopum super homicidio volito non ex confilio, 'aut matura deliberatione facto; sed ex repetina ira, vel rixa contra *Suarez disp.* 44. *sect.* 1. n. 3.

### §. III.

#### *Homicidium Pbysicum.*

48 **D**irectè, voluntariè, seu ex proposito occidente, vel mutilantem contrahere irregularitatem, & quidem à solo summo Pontifice dispensabilem: constat cum communi sententia ex hucusque dictis, & habetur in Tridentino *Seff.* 14. *cap.* 7. sub tali homicidio comprehendit communis sententia etiam homicidium factum occasione subitæ rixæ cum *Tamb.* §. 6. n. 5.

49 Adde, irregularitatem etiam incurri ex procreatione abortūs foetus animati effectu secuto. Præterea si dubites, an fuerit animatus? an medium adhibitum fuerit causa abortūs? an is fortè aliunde evenerit? In his inquam dubijs damnaberis irregularitatis, ut docet communis contra non nullos apud *Dian.* p. 11. tr. 6. R. 24. etenim in dubio

homicidij, quando nimirum constat de corpore delicti, & solum dubitatur de persona, aut de modo, incurritur irregularitas. Cæterum quoniam communiter docent Philosophi cum *Aristot.* & *Plin.* masculum animari die quadragesima, fœminam octuagesima, non est censendus irregularis, qui hos ante dies procuravit abortum: quod si post procuratum abortum, & post quadragesimum diem dubitetur, num fœtus sit fœmina, vel mas? præsumendum esse masculum, & incurri irregularitatem, quod in praxi observari tum in Dataria, tum in sacra Pœnitentiaria testatur *Dian. cit. n. 6.* Adde, quod ex procreatione talis abortus effectu secuto incurvantur aliæ quoque pœnæ huic sceleri statutæ privatio beneficij, & dignitatis, &c.

50 Denique pugnans in bello etiam justo, & defensivo incurrit irregularitatem, quando verificatur, quod sanguis humanus ab aliquo sit profusus, quia talis saltē cooperatur ad eam profusionē. *Fag. in cap. petitio de Homicidio n. 6. quod Suarez disp. 47. secl. 6. n. 9. admittit,* si is pugnans sit causa proxima, ut alij occidant, aut mutilent.

51 At quæres de Clerico, qui militiæ adscriptus, & armatus sociavit se militibus, atque stipendia recipit; est tamen moraliter certus, à se neminem mutilatum, aut occisum

sum fuisse, estne irregularis? Resp. Mathæuccius in *off. cur. Eccl. cap. 35. n. 37.* egere dispensatione ab irregularitate, sic Sac. Congregatio Concilij in una Ippensi 13. Januarij anno 1703. Forte supponebatur, aut præsumebatur Is Clericus causam proximam præbuuisse ad occidendum, aut mutilandum: vel certè dubiam habuit de eo conscientiam, ut notat Bonacini. d. 7. q. 4. p. 4. n. 5.

52 Ulterius affirmat cit. *Mathæuccius n. 34.* etiam Equites Teutonicos, Melitenses, licet pugnando, & occidendo hostes infideles non peccent, ad evitandam tamen irregularitatem opus habere, aut prævia, aut subsequente dispensatione Pontificia, id quod docent Caver. Mol. aliique etiam de Clericis, qui in bello sacro ex licentia Pontificis de pugnant contra hostes fidei, quod tamen negat citatis multis *Dian. p. 9. T. 9. R. 6. & 8.*

53 Benevole Lector. Perçipe casum hoc tempore belli Turcici in Morea practicatum.  
 " Sacerdos Regularis properabat cum Turba Christiana contrapræsentem Turcarum  
 " potentiam volentem vicum, in quo de-  
 " gebat Pastor, suæ subjicere feritati: Is  
 " collegas Christianos & ad gloriosam con-  
 " tra inimicos Crucis Christi hortabatur pu-  
 " gnam, & ipse quoque aggressores vulne-  
 " rando strenue repellebat; ex utraque par-

" te cecidere occisi multi : redux ex con-  
 " flictu verebatur, nè irregularitatem incur-  
 " risset.

54 Ex hoc casu certum est *primò*. Clericus prohibetur pugnare cum Infidelibus, non solum eos invadendo, seu offensivè provocando, verùm etiam quando ab infidelibus terrâ invaditur. *Cap. ex multa. De Voto.* potest tamen Clericus liberè, at servato moderamine inculpatæ tutelæ ( quale moderamen servatur, cum istud duntaxat fit quo omisso violentia repellere non posset ) interficere injustum suæ vitæ aggressorem, quando invaditur terrâ: quia sic per alios terræ invasæ incolas potest repellere injuria; unde tunc necessitas non est inevitabilis,

55 Certum est *secundò*, Clericus vulnerans inimicum in conflictu, in quo plures fuerunt occisi ab alijs, ex sola vulneratione non est irregularis, constat *ex cap. petitio*. Nec obstat *cap. sicut dignum*, ubi ex solo consilio, vel præsentia armata contrahitur irregularitas secuto homicidio per alios: non obstat inquam; quia cit. *cap. sicut dignum* agit de bellicibus non in bello justo, sed injusto, in quo qualitercunque Clericus præstiterit operam aut consilium efficitur irregularis secuto homicidio licet per alios.

56 Respondeo ad casum. Cum nō constet prælibato Sacerdoti Regulari pugnanti contra inustum hōstem occidisse directè quemquam, irregularis non est, *cap. sicut lignum*: multūm enim rationi conforme est; ut sola vulneratio, signanter in adeo necessariā violentiæ, & barbaræ feritatis repulsione per legem Canonicam irregularitate haud castigetur.

57 Cæterum Officium Clericatūs horrere debet omnem armorum strepitum, & solæ Divinæ inniti curæ, & Providentiæ, cuius est eripere suā Omnipotentiā ē manibus inimici, aut pro ampliore sui gloria inimicis tradere, quotidiē enim nobis dicitur, *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*: quare Innocentius III. reddit Clericos inhabiles ad pugnandum, nisi vel consilio strenui, vel officio prædicationis instructi, aut Magnatum sint obsequio deputati. Superest

58 Ultima quæstio, an, & quomodo Irregularitas privet beneficijs? Resp. primò: de Irregularitate orta ex homicidio voluntario haberi ex Tridentino *Sess. 14 cap. 7.* privare omni Ordine, Beneficio, & Officio Ecclesiastico in perpetuum. Circa pensiones autem relinquitur arbitrio Judicis, spectata delicti qualitate, prout Barbos. testatur apud *Pal. pu. 5. n. 12.*

Resp.

59 Resp. secundò: cum Laym. cap. i. n. 2. ipso Jure irregularitas non privat Clericum beneficij fructibus, & administratione, dummodo officium saltem per Vicarium administraret: debet tamen privari beneficiò per Judicem, juxta cap. ex litteris. de Exces. Prælat. imò sponte resignare, si dispensatio brevi tempore non sit impetranda.

60 Resp. tertio: Irregularitas non privat ipso Jure beneficijs prius ritè acquisitis: sic communis teste Pal. locò cit. n. 9. omnes enim textus Juris in contrarium adducendi requirunt Officium Judicis ab beneficiorum privationem. Ad hæc refert Fillinc. tract. 19. n. 92. expressam decisionem Rotæ, quod talis poena privationis Beneficij non sit latæ, sed ferendæ sententiæ: cuius ratio est; quia lex poenalis semper intelligenda est quoad poenam ferendam per intentiam, nisi in ipsa lege aliud apertè exprimatur, quod hic non reperitur. Adde, quod cum alijs Judicat Pal. n. 7. collationem beneficij factam irregulari esse validam, quamquam illicitam: neque enim irregularitati plures effectus tribuendi sunt, quam Jus ipsum expresserit: quare taliter provisus poterit esse tutus in conscientia post impetratam dispensationem,

## APPENDIX I.

*De Bigamia.*

**61** **B**igamus is dicitur, qui duas contraxit  
rūptas: ac exinde bigamia omni Cle-  
ricali privilegio bigamū denudat; & ordine  
insigniri, atq; in suscep<sup>t</sup>o ministrare impedit.  
Est itaque vera irregularitas proveniens ex  
defectu sacramenti, eò, quod deficiat re-  
præsentatio mysterij unionis inter Christum  
per Eius Incarnationem & Ecclesiam con-  
tractæ.

**62** Alia est *vera*, cum quis successivè cum  
duabus uxoribus verē, & validè contraxit  
matrimonium illudque consummavit: un-  
de sola sponsalia cum pluribus non inducunt  
bigamiam: nec meretricium, aut concubi-  
natus sive ante matrimonium cum virgine,  
sive eo stante practicatus: nec bina matri-  
monia rata tantū, aut quorum unum erat  
consummatum, & alterum ratum tantū: ita  
probatisimi Authores, quorum ratio est;  
quia pœnæ ultra sensum textūs Juris non  
sunt extendendæ.

**63** Alia *interpretativa*, quando quis cum  
vidua contraxit, aut cum corrupta ab alio:  
incurritur hæc bigamia sive vir sciverit esse

viduam, vel corruptam, quam duxit, sive ignoraverit, sive mulier volens, sive per vim corrupta sit ab alio, ut tradit *Sanchez*. siquidem hæc irregularitas non oritur ex culpa, vel infamia personæ, sed ex defectu significationis Sacramenti. Similiter incurritur bigamia interpretativa, si is, qui quidem virginem duxit, hæc tamen adulterium commisit, reddeatque ad illam, tam et si vir adulterium uxoris ignoraverit.

64 Ad hæc quæsivit Confessarius quidam verius timoratè, quam solidè, an uxor adulterans sibi confessa induci debeat, ut maritum suum virum honestum post mortem uxoris volentem sacris insigniri ordinibus moneat in genere de irregularitate, quam illa scit contractam à marito propter clandestina repetita sua adulteria? at oueren- ti audacter fuit responsum negativè: hæc enim monitio & inefficax est, quia confenti propriam turpitudinem non est credendum: & illa minimè obligatur suam coram marito proscindere famam: nec monitio illa in genere aliquid fructificaret, siquidem genericè proposita non tangunt actiones particulares, nec eas efficaciter regunt.

65 *Alia Similitudinaria*, ita dicta ratione similitudinis: eam incurrit sacro Ordine iniciatus, aut professus, uxorem ducens, licet vir-

virginem: huic per sœpe conjugitur bigamia similitudinaria *mixta*, quandò quis post votum solemne inijt matrimonium cum corrupta, vel binas nuptias celebravit de facto, licet de Jure nullas.

66 In omni bigamia quo ad omnes Ordines, & dignitates potest dispensare summus Pontifex, indubium est. Episcopus non in vera, non in interpretativa, nec mixta <sup>n. 65.</sup> explicata, sed in sola similitudinaria simplici, nempe si Clericus in facris constitutus, qui antea conjugatus non fuit, de facto cum virgine matrimonium contraxit, & consummavit, potest dispensare, ut ad altiores sacros Ordines suscipiendos, vel ministrandum in susceptis pto moveatur.

67 Regulares exempti an speciali Jure gaudeant circa dispensationem in bigamia similitudinaria simplici? quod mihi videtur probabile, facti est quæstio, super quo cuiusque Prælati est in sua Religione inquirere.

68 Tandem quicunque irregularitate quævis, & ex quacunque radice proveniente irretitus, Clericatum, aut Ordines suscepit, mortaliter peccat: item, qui in susceptis Ordinibus præsumit ministrare: agit enim in re gravi contra grave Ecclesiæ præceptum.

## APPENDIX II.

*De Excommunicationibus Pon-*  
*tifici Summo reservatis.*

### §. I.

*Excommunicationes reservatae*  
*in Bulla Cœna Domini.*

- 1 **H**æretici cujuscunque sectæ, eorundem  
fautores, libros legentes, tenentes, aut  
imprimentes, & schismatici.
- 2 Appellantes à Pontifice ad futuram Con-  
cilium, corūmque fautores.
- 3 Piratæ, atque eorum receptores, & fau-  
tores.
- 4 Naufragorum Christianorum cujuscunq;  
generis bona etiam in littoribus inventa  
surripientes.
- 5 Imponentes nova pedagia, & gabellas,  
vel eas augentes.
- 6 Falsificantes literas Apostolicas, aut falsò  
fabricantes.
- 7 Deferentes arma, & alia usui bellico ido-  
nea ad Turcas, vel alios Christiani nomi-  
nis inimicos, & ad reipublicæ christianæ  
statum pertinentia ijsdem in damnum  
christianorum nunciantes.

- 8 Impedientes eos, qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt.
- 9 Ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua, aut aliorum opera laedentes, & sine jurisdictione vexantes in curia commorantes.
- 10 Romipetas, ac Peregrinos etiam in urbe morantes, vel abeuntes laedentes.
- 11 Offendentes S. R. E. Cardinales, & alios Prælatos.
- 12 Ad Romanam curiam pro negotijs suis recurrentes per se, vel per alios laedentes.
- 13 Appellantes à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem.
- 14 Executionem litterarū Apostolicarum, aut aliarum expeditionum impedientes, & prohibentes ad gratias imperrandas accedentes.
- 15 Judices sæculares, qui Ecclesiasticas personas trahunt ad sua tribunalia, quique Ecclesiasticae libertatem tollunt aut in alio aliquo perturbant.
- 16 Impedientes Prælatos ne sua jurisdictione utantur, quiique illorum, & delegatorum judicia eludentes ad curiam sæcularem recurrent, aut contra illos decernunt, præstantesque auxilium.
- 17 Usurpantes Sedis Apostolicæ, & quærum

rumcunque Ecclesiarum jurisdictiones,  
vel etiam fructus sequestrantes.

18 Imponentes decimas, & alia onera per-  
sonis Ecclesiasticis, Ecclesijs, Monasterijs,  
aut eorum fructibus.

19 Judices sacerdotes, qui se interponunt in  
causis capitalibus, seu criminalibus con-  
tra Ecclesiasticas personas.

20 Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ  
Romanæ, & illius jurisdictionem usur-  
pantes.

## §. II.

**A** Lij casus, & excommunicationes Sum-  
mo Pontifici intra Italiam reservati,  
a quibus Regulares Germani in sententia  
gravium Doctorum possunt absolvere poen-  
tentest, dumodo nominatim, & particulari-  
ter non sint infictæ.

1 Violatio Clausuræ Monialium ad ma-  
lum finem.

2 Injicientium violentas manus in Cle-  
ricos, &c.

3 Simonia realis, scienter contracta.

4 Confidentialia Beneficialis.

5 Provocantium, & pugnantium in duel-  
lo, juxta Concilium Tridentinum, & Con-  
stitutionem Gregorij XIII.

6 Violatio immunitatis Ecclesiasticæ cir-  
ca confugientes ad Ecclesias. Scien-

Sciendum de immunitate circa confugientes ad Ecclesias, quod Gregorijs XIV. in quadam constitutione, quæ incipit, *cum alias nonnulli.* Statuendo imposuerit primò ut omnes delinquentes, qui confugiunt ad Ecclesias, gaudeant immunitate exceptis casibus expressis §. 3. cuius tenor est hujusmodi.

2 Ut Laicis ad Ecclesias, locaque Sacra, & religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque graffatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidijs aggrediuntur.

3 Aut depopulatores agrorum.

4 Quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesijs earumque cœmeterijs committere non verentur.

5 Aut qui proditoriè proximum suum occiderint.

6 Aut assassini.

7 Vel hæresis rei.

8 Aut læsa Majestatis in personam ipsiusmet Principis Rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.

In alijs casibus delinquentes confugientes ad Ecclesias gaudent immunitate; si vero contra hanc constitutionem læserint immunitatem Ecclesiasticam, erit casus reservatus Papæ.

Appell-

# APPENDIX III.

## *Juridico-Canonico-Theologica.*

**H**AETENUS de pœnis Ecclesiasticis pro utriusque fori concordia Laconicō calamō congesta propè ad calcem deduxeram, cum casus ad me perscribitur, quæstionem continens magnō inter Juris Consultos, Canonum Interpretes, & Theologos litigiō agitatam, & hodie dum nondum terminatam, quæ, siquidem pœnas à Judice in Reum pronuntiaturo definiendas continet, præsenti meo Tractatui multūm affinis, & benevolo Lectori minimè subtrahenda visā fuit. Casus porrò sic habeat.

**D**e Judice Rei in causa  
seu Criminali, seu Civili secun-  
dūm allegata, & probata No-  
centis, re ipsa verd  
Innocentis.

**S**Pecies Facti. *Publius nobili genere progenitus Capitalis Sæij hostis eo tempore occidi-*

sur,

tur, quo s̄æjus apud loci Judicem convivā aderat. Occisi consanguinei exinde s̄æjum in Judicium vocant, eūmque secundum allegata, & probata per telam judiciariam homicidam demonstrant, urgentque Judicem ad ferendam capitalem sententiam. Tergiversatur Ille, quippe Sæij Innocentis certò conscientius, sed adversæ partis potentiam, suarūmque fortunarum dispendium extimescens.

Quærit ex Theologo primò An tutâ conscientiâ possit condeinmare Sæjum juridice Reum?

Secundò. An obligetur etiam cum dispensio sui officij abstinere à sententia?

Tertiò. Quid sibi Judici liceat in simili factu, sed civili, non criminali gravi?

I Judicem in mente sua debere habere dupl̄icem salem, scientiæ, ne sit insipidus; & conscientia, ne sit diabolicus, recte censuit

Baldus in L. 2. L. 15. C. de Sentent, &c.  
 Etenim Judicis tamquam boni viri officium in ferenda sententia tria exigit: *primo*, ut ferat secundum leges, statuta, & laudabiles consuetudines. *Secundò* ut ferat sententiam non ex privata scientia, vel secundum numerata, sed allegata, & probata, adeoque ex scientia publica, quam ex actis habet. *Tertiò*, ut ferat sententiam libello conformem, claram, & non obscuram Tex. & DD. in L. 6. §. veritas. De Offi. Praesid. Chlingensberg. Inst. L. 4. t. 17.

2 Inde oritur praesentis casus quæstio: Utrum Jūdex possit, aut teneatur condemnare sœnum ex allegatis, & probatis publicis juridicē homicidam demonstratum; an verò sequendo propriam suam scientiam de Sæi innocentia abstinere à sententia.

3 Quā in quæstione docet S. Thomas, quem ferè sequitur Schola Thomistica, aliique non pauci cum P. Tanner. T. 3. D. 4. d. 2. n. 51. Judicem simpliciter debere pronunciare secundum allegata, & probata, atque condemnare non obstante privata sua in contrarium scientia: cui sententiæ adhærent sat multi Juristæ apud, & cum Julio Claro L. 5. q. 60. n. 2.

4 Moventur *primò*: regula dirigente judicium divinitus lata Deutron. 17. In ore duorum;

rum, aut trium testium peribit, qui occidetur:  
 & Matth. 18. in ore duorum, vel trium testium  
 stabit omne verbum.

5 Moventur secundò: quia Can. Judicet.  
 4. III. q. 7. ibi. Bonus Judex nihil ex arbitrio  
 suo facit, & domesticæ proposito voluntatis:  
 sed juxta leges, & Jura pronunciat, statutis  
 Juris obtemperat, non indulget propria volun-  
 tati, nihil paratum, & meditatum domo de-  
 fert, sed sicut audit, judicat. cui Canoni con-  
 sentit L. 6. §. veritas ff. de off. Præsid. ibi:  
 & ideo Præter Provincia id sequatur, quod conve-  
 nit eum ex fide eorum, quæ probabantur. Plura  
 quoque huc congeruntur ex SS. PP.

6 Hinc moventur tertio, hoc fundamen-  
 tali argumento. Judex, cum judicando pu-  
 blicam personam sustineat, debet procede-  
 re in judicando secundum ea, quæ ipsi qua  
 Judici, non qua personæ privatæ constant;  
 & adeo quidem, ut cap. contingit. cap. Dilectio.  
 de fide instrument. claris terminis statutum  
 habeatur, quod non possit ferre sententiam  
 ex aliquo instrumento in judicio non pro-  
 ducto, licet illud privatim viderit. Atqui  
 in præsenti casu secundùm instrumenta Ju-  
 ridica constat Sæcum esse homicidam: ergo  
 relictâ suâ privatâ scientiâ debet sic judica-  
 re. Et alias ostium aperiretur innumeris  
 fraudibus, & frustranea viderentur omnia

Jura, atque inutilia, quæ pro bono publico tempus, locum, Ordinem processus, totiusque judicij modum tam providè, & sollicitè præscriperunt.

7 Confirmatur ex cap. *Pastoralis. de off. & potest. Delegati.* ibi: *quod cum Ordinarium tenetur obsequi delegato, et si sciat sententiam illam esse injustam, exequi nihilominus teneatur eandem: ergo Judicis privata scientia est impertinens, & inutilis.*

8 Secunda sententia est *Lyrani. Zoësi. Pirbing. Leffij. Bonati. D. 10. q. 2. p. 2. n. 3.* & aliorum multorum. Hæc distinguit inter causas criminales mortis pœnam secum ferentes (quibus addi debent, & communitet æquiparantur: causæ matrimoniales propter periculum animæ) & inter causas civiles, aut criminales leviores, aliquam pecuniæ multam honoris privationem, &c. trahentes. Negat in ijs posse Judicem proferre sententiam contra Reum, quem certò privatinī scit innocentem: ed quod innocentem directè occidere sit intrinsecè malum. Affirmat de posterioribus, cum lex majus dominium habeat. infortunas quam in vitam. Videatur. *Laymann.*

9 Tertia sententia est *Coracij. Hottomanni. Besoldi. Cblingensp. l. cit.* aliorumque, quos post Corac. Var. l. 1. c. 1. n. 8. sequitur. Robert. Konig.

asse-

afferens, & Divino, & humano Juri consōnum esse, ut Judex in quæstione facti non pronunciet contra suam quamvis privatam conscientiam: quæ sententia mihi præ reliquis arridet ex plementi fundamento, cui innititur, per se loquendo. Nihilominus

10 Respondeo, & dico primò cum seunda sententia, Judicem non posse tutā conscientiā: in casu proposito condemnare Sæcum. Ratio, qua ( salva Doctori Angeli-  
co sua reverentia ) obviatur fundamentali argumento primæ sententiæ n. 5. proposito, hæc est: quia Judex non tantum tenetur habere DEUM præ oculis in judicando, & illum non damnare, quem DEI tribunal, & consequenter conscientia reum non habet cap. 1. d. sent. & rejudic. in 6. sed etiam tene-  
tur judicare secundum ea, quæ in iudicio allegantur & probantur quasi luce meridia-  
na clarius, ita ut Judici fidem faciant, proba-  
re enim est fidem facere: & facit huc L. 6.  
§. veritas. f. D. Off. Praef. allegata n. 5. sed  
in præsenti casu non sic probantur: ergo.  
Major probatur: nam fides nulli alteri fa-  
cienda est quam Judici: nam huic manda-  
tum est examen eorum, quæ allegantur; &  
ita quidem mandatum est, ut ex animi sui  
sententia æstimare eum oporteat, quod aut  
credat, aut parum sibi probatum opinetur

*Tex. in L. 3. ff. de Testibus.* & prout Religio  
suggerit, sententiam proferre. *L. Eum, quem*  
*79. §. 2. ff. de Judiciis.* & in quantum ipsi Judi-  
ci fides fit *L. 6. §. 1. ff. de off. Jud.* sed impossibile  
est, ut illi fides fiat etiam ut Judici, qui certò  
scit oppositum : ergo. quare allegata qui-  
dem habentur, sed non probata quà Judi-  
ci : ergo nec quidem quà Judex potest fer-  
re sententiam.

11 Ratio secunda ex ipsis legibus. Quia  
ideo præcipiunt leges fieri processus, Ordin-  
inem, & cognitionem causæ, ut veritas facti  
elucescat, maximè in bonis irrecuperabili-  
bus, qualis est vita : sed evidenter scit jam  
judex veritatem : ergo non potest allegatis  
assentiri, suāmque sententiam conformare.  
Et cum veritas sit simplex, & indivisibilis,  
non bene dividitur conscientia, & scientia  
Judicis in publicam, & privatam : nam sicut  
inferior subjacet superiori, & legibus, ita  
etiam Judex conscientiæ suæ, ac proinde  
contra hanc etiam ut Judex nequit agere ;  
sicut nec privatus tenetur obediens contra  
conscientiam suam privatam. *Cap. Litteras*  
*de Ref. fpol.*

12 Hinc confirmatur *primo* : quamquam  
e.g. Judex Ecclesiasticus pronunciet, Ber-  
tham esse conjugem tuam, si tamen etiam  
privatā tuā scientiā certō nosti impedimen-  
tum

tum dirimens, non potes petere, aut reddere debitum. secundo: quamquam subditus, qui certò novit, bellum esse injustum, non potest militare, etiamsi Judex, aut Princeps exigat, idque ob rationem paulò ante assignatam: ergo etiam Judex, &c.

13 Respondeo ad primum n. 4, ex nostro *Amando Hermann p. 2. Eth. Sac. d. 9. q. 5.* non esse mentem Domini DEI, ut; toties quoties sunt duo testes, reus possit condemnari, alioquin nec Pontius Pilatus peccasset, dum ad duos testes, & multitudinem clamantium condemnavit Christum, quem sciebat per invidiam traditum; sed vult ad minus duos testes esse necessarios pro faciendo judicio, & sententia, quando Judici non constat factum.

14 Ad secundum facilis est responsio, admittendo eos textus; sed negando, quod sint probata, id est, *fides facientia respectu Judicis*, quippe qui certò novit esse calumnias. Præterea admittitur, secundum suum arbitrium, & voluntatem non debere judicari à Judice, id est, ut absit omnis favor, & acta nitantur veritate, ut recte *Less. l. 2. c. 29. d. 10. n. 78.* quis enim credat, quod Judex qua persona publica ideo fungatur officio, ut publicas falsitates, quas tales novit, sequatur; inspicere proinde debet ve-

ritatem, sive ea publicè, sive privatim ei constet.

15 Ad tertium satis patet responsio ex dictis. Nec periculum est fraudis: quia præstat decem Reos absolvere, quam vel unicum innocentem interficere: cum hoc sit intrinsecè malum contra præceptum diuinum, & naturale Exodi 23. n. 7. *Innocentem, & justum non occides.* Certè Susanna, quamquam duorum testimonijs obruta pronunciatur Innocens Daniel. cap. 3. Imò ex opposita sententia longe deteriora sequentur, de quibus *Lef. cit.* Ad cap. Dilectus respondetur, nullum instrumentum, quod seu privatum, seu publicum sit, attendi debere, nisi fidem faciat.

16 Ad confirmationem, quæ nititur cap. *Pastoralis* communiter respondetur, Ordinarij tunc posse exequi sententiam delegati injustum, quando Ordinarius non habet cognitionem causæ; quæ si adesset (addit. Glof-fa) e. g. falsificatis literis, &c. non posset dari talis sententia executioni, nec ab Ordinario, nec à delegato.

17 Ex his sequitur: Theologum responderē debere Judici, quod tutâ conscientiâ non possit condonare Sæcum, quæ fuit prima qnæstio casus propositi.

18 Ad secundam questionem: Respondeo primò Ju-

Judicem in tali casu debere tentare omnes vias ad eliberandum Sæium , quales sunt: impedire accusationem , protrahere Judicium, aperire clam carcerem , testes secretò admonere per probos , & doctos viros de falsitate actionis intentatæ: quod si his nihil proficiat, debet remittere causam ad superiorem Judicem , & , si quidem profuturum iperet, deposito etiam tantisper Judicis officiō testem agere , sic communis etiam Authorum primæ sententiæ.

19 Respondeo secundò cum hac secunda sententia , si tentatis omnibus eliberandi Sæij medijs nihil proficeret ( quamquam moraliter ferre sit impossibile ) tenetur potius officij sui dispendium pati , quam Sæium condemnare: quia occideret innocentem, quod est intrinsecè malum , & repugnans charitati , & Justitiæ naturali: neque enim calumniae à Judice certò cognitæ possunt respectu Judicis Innocentem facere Nocentem. Nec verum est, quod ( ut oppositi AA. autumant ) tantum indirectè occideret: nam sententia Judicis est vera moralis causa directè occisiva innocentis , & moraliter indistincta ab occisione ipsa reali.

20 Non tamen prætereo , quod ex P. Fillio, insinuat Dian. p. 5. tr. 14. R. 22. quod si Judex tentatis in vanum supradictis

medijs deberet cum notabili suo detrimen-  
to, & damno deponere officium Judicis ( id  
quod fieret in præsenti casu propter poten-  
tiam nobilium consanguineorum occisi Pu-  
blij ) non teneretur illi officio renunciare, si  
sequeretur sententiam oppositam ferè Tho-  
mistarum. At in opinione mea hoc mini-  
mè procedit.

21 Tertia *quaestio* magis controversa est  
de actibus civilibus, aut criminalibus levio-  
ribus: nam negativa mihi multum arridens  
nuditur argumentis paulò ante insinuatis. Pri-  
mo: quia etiam in his causis sunt tantum al-  
legata non autem probata Judici: neque  
enim huic quippe certò scienti oppositum,  
possunt fidem facere: ergò secundum ea  
non potest pronunciare. Secundò etiam in  
levioribus criminalibus innocentem damna-  
re e. g. ad poenam pecuniariam, est intrinse-  
cè malum: ergo neque hoc fas est Judici una  
enim eadēmque conscientia premitur Judex  
judicando sive de vita, sive de fortunis. Quæ  
argumenta adeo solida judicat *Cavar. Var.*  
*I. i. c. i. n. 8.* ut putet impossibile esse, di-  
sparitatem dari inter causas criminales de  
vita, aut alias de poena, aut purè civiles quā  
sunt facti apud *Lef. n. 20.*

22 Respondeo tamen cum secunda, eā-  
que teste *Diana* ferè communi sententia

p. 11. tr. 7. R. 20 in causis paulò ante memoratis, quandò Judex certò scit Actorem falsis criminatioibus, aut instrumentis niti, tenetur quidem omni industria curare, ut falsitas detegatur, vel processus impediatur: quod si tamen his nihil effecerit, potest ferre sententiam secundum allegata & probata publicè, non attentâ suâ privatâ scientiâ.

23 Ratio disparitatis est; quia Respublicæ, aut leges non habent quidem authoritatem ad directè auferendum alicui vitam absque delicto: tum quod bonum vitæ sit altioris ordinis irrecuperabile: tum quod dominium in vitam sit longè limitatius: fortunæ verò privatorum, aut leves cruciatus sint in eo bonorum genere, quæ recuperari, recompensarique possunt, quorūmque lex est domina, quando ita exigit bonum commune, ut patet in præscriptione, aliisque centenis, ita ut ijs Juréque suo quæsito etiam physicè innocens privari possit. Sed hoc exigit bonum commune ex justa, & sufficiente causa, nimirum ne Judiciorum forma (à qua pendet pax, & salus Reipublicæ) tam facile, ac tanto cum scandalo contemnatur, & pervertatur; id quod sæpius in frequentia causarum civilium, & leviorum criminalium accideret: ergo. Videatur Pirhing.

24 Hinc Responditur ad *primum* oppositiæ sententiæ, quod quamquam probata talia fidem non faciant Judici, hic tamen ob fundamentum dictum Authoritate sibi à legibus, & Republica concessa fungi possit in judicando, quippe cum *Nomine* Reipublicæ disponat de bonis privati subjectis *alto dominio* Reipublicæ.

25 Ad secundum dico, talem ex Innocente fieri Juridicè reum, id est, in foro externo cogi ad obediendum legibus, & Reipublicæ, sic exigente bono communi, uti fit in pluribus casibus. Cæterum patet illi via recuperandi bona sua, quibus per sententiam de se certo injustam privatus est, vel appellando ad superiorem Judicem, vel per restitutionem in integrum, &c. imò etiam 'per occultam compensationem in talibus circumstantijs haud illicitam,

## APPENDIX IV.

**A**n Sacerdos accusato civiliter sure incurrat irregularitatem, quia indicavit locum, ubi fur latitans posset comprehendendi?

**S**Pecies facti. *Dorlassius Sacerdos accusat apud Judicium*

tem furem, qui Nepti suæ ingen-  
tem abstulit summam pecunia-  
riam, ac petit satisfactionem ci-  
vilem : *Judex ex indicato à  
Dorlassio Sacerdote loco furem  
abstrabit, ac capit, eique format  
processum Sanguinis, quo termi-  
nato, non attenta Sacerdotis legali  
seu canonica protestatione, fur su-  
spendio necatur.* *Quærerit Dur-  
lassius ex Theologo, num à Sa-  
cro Ministerio debeat abstinere?*

26 Pro negativa stat *Cop. Prælatis in 6.*  
quod est Bonifacij VIII. *Prælatis, vel Cle-  
ricis quibuscunque, qui de Laicis suis ma-  
lefactoribus querelam penes sæcularem Ju-  
dicem deponentes petunt emendam fibi  
fieri, & provideri, ne contra eos talia de-  
cetero præsumantur, protestando expresse,*  
quod ad vindictam, seu poenam Sanguinis  
non intendunt, imputari non debet, si Ju-  
dex mortem illis inferat justitiâ exigente.  
*Alioquin si Prælati, aut Clerici propter me-  
tum hujusmodi, quia Judex ad poenam San-  
guinis*

guinis posset procedere, de suis malefactōribus taliter conqueri non auderent, daretur pluriesque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi. Sic Pontifex.

27 Et hinc Clericis licitum est, non tantum civiliter agere, & repetere ablata, sed etiam in judicio querelam prosequi, præsentare testes, eaque omnia facere, quæ concurrere possunt ad obtinendam victoriam civilem de rebus suis, ac suorum, nempe proximè Sanguine junctorum, & domesticorum, ut communis habet Canonistarum.

28 Dixi : *Suorum* : non enim absque irregularitate potest Clericus aliquem accusare ratione injuriæ, aut damni illati non sibi, sed alteri ; quia sola defensio proprij Juris maximè naturalis est, non item defensio alieni Juris : *deinde cap. 2. b. t. in 6.* admittit solum, ut petant Clerici emendam *sibi* fieri, & provideri. Satis tamen dicitur etiam proprium jus defendere qui vindicat civiliter damna illata personis sibi conjunctis, & suis domesticis, illa enim saltem per consequiam tangunt Clericum.

29 Pro affirmativa stat ratio. Quia Clericus ostendens latibulum furis videtur influere directè in ejus necem, cum captura malefactoris non sit necessaria ad obtinen-

dam

dam civilem victoriam *L. Consentan.* & in  
*Anth.* qui semel *C.* quomodo, & quando *Judex.*  
 Deinde Clericus quidem sua vindicare po-  
 test, at suaviter, & absque Sanguinis effu-  
 sione. Tum quia si Clericus ipse manibus  
 suis furem rerum suarum caperet, ac Ju-  
 dici traderet, secuta furis morte foret irreg-  
 ularis: atqui capere proprijs manibus, aut  
 indigitare latibulum, ubi certo capiatur,  
 idem est: ergo similiter irregularis.

30 Resolutio quæstionis penitus inspectæ  
 durior est, ac ut obviè legitur: *Navarti*  
*Lib. 5. Consiliorum. tit. de Homicid. Confil. 9. n. 4.*  
 in partes distincta magis arridet. Si fur  
 erat persona fugitiva, & lata contra ipsum  
 civiliter sententia nullum haberet profectū,  
 nisi persona detineatur, licet Clerico indi-  
 care locum, ut capiatur fur: quia ex *L. ait.*  
*prætor.* §. *Si debitorem ff. quæ in fraud. Cred.*  
 debitor fugitivus capi potest etiam autho-  
 ritate propria. At si fur fugitivus non est,  
 non licet Clerico absque metu irregulari-  
 tatis latibulum indicare. Verum quia om-  
 nis fur ob actionem suam pessimam præ-  
 sumitur rationabiliter semper fugitivus;  
 hinc Dorlassius Sacerdos non incurrit irre-  
 gularitatem, & consequenter liberè Altaris  
 ministerio occupatur. Sed hæc incidentes  
 ex aſſe tamen.

O. A. M. D. G. E. B. V. H.

# CONCLUSIONES UNIVERSA THEOLOGIA

*Ad Mentem*

JOANNIS DUNS  
SCOTI,

Primi pro Immaculata DEL-  
PARÆ Conceptione Pancratiaſtis,  
& Doctoris ſubtiliſſimi.

*DEFENSÆ*

â P. BASILIO BATTAUZ,  
Ord. Min. S. P. Francisci Strictioris Observantiae  
SS. Theologiae Studente Generali.

*PRÆSIDĒ*

P. JACOBO HOFFSTETTER,  
Ejusdem Ordinis Sacrorum Cano-  
num, & SS. Theologiae Lectore, nec non  
Provinciae Diffinitore actuali.

*Labaci in Sacra, & Exempta Sereniffi-  
mi Ordinis Teutonici Āde.*

Anno à partu Virginis M. D. CCXVI. Mensē  
Die Horis.

---

LABACI, Formis J. G. Mayr, Inc. Prov. Carn. Typ.

Gaude Sacra Sponsa, belle compta  
noviter exurgens Teutonum Ecclesia,  
Lege multa in SUO uno Religiosissimo  
Sponso.

# GUIDOBALDUS STAREMBERG.

Magnus Sang<sup>mini</sup> major virtutis Hæres.  
Incliti Ordinis Teutonici gemā pretiosa.

Gloriosus Bellidux,

Cultor Numinis, Patriæ Tutor.

Asiæ palmas eripuit, Europæ oleas  
reddidit.

Galeatus Mysta,

Et hostilis sanguinis purpura linteatus,  
imolavit Hecatombes Muselmanorū.

Vive, Vale, Prima Æmonæ Gloria.

Sic Lector cum studio devotissime  
Canit,

Mœcenati Optimo.

IN - 030029871



I. **S**acra Viatorum Theologia  
non est in rigore scientia.  
II. Ejus objectum est DEUS.  
III. Quem existere ratio natura-  
lis docet. IV. Cujus simplicitas  
compositionem physicam, &  
metaphysicam excludit. V. Non  
tamen pluralitatem Attributo-  
rum ex natura rei Scotisticè di-  
stinctorum. VI. Illius intellectus  
novit omnia futura in decreto  
fuo concomitante. VII. Et vo-  
luntas amat creature purè possi-  
biles. VIII. Invisibilis naturaliter  
ab intellectu creato, visibilis  
tamen supernaturaliter. IX. In  
efficaciiori, & præstantiori intel-  
lectu

lectu non repugnat inæqualitas  
visionis beatæ, cæteris paribus.  
*V.* Nec implicat quin beatus vi-  
deat Essentiam non visis Perso-  
nis. *XI.* Item videre unam Per-  
nam aliâ non visâ. *XII.* Potest  
homo in hac vita beatificari.  
*XIII.* Possibilis est species creata,  
quæ DEUM repræsentet. *XIV.*  
Unus DEUS in tribus Personis  
Patre, Filio, & Spiritu sancto non  
est naturaliter evidenter cognos-  
cibilis. *XV.* Filius per intelle-  
ctum à Patre, Spiritus S. ab utrō-  
que procedit. *XVI.* Quis si ab al-  
terutro non procederet, adhuc ab  
Eo, à quo non procederet, realiter  
distingueretur. *XVII.* Dari An-  
gelos fides docet. *XVIII.* Atra-  
tio naturalis evidenter non pro-  
bat

¶  
bat. **XIX.** Si DEUS non impe-  
diat, possunt cognoscere secreta  
cordium actu posita. **XX.** Sunt  
in loco , sed minimè per opera-  
tionem. **XXI.** Inter actus mora-  
liter bonos , & malos mediant  
indifferentes. **XXII.** Externi  
boni, aut mali internos distincta  
bonitate , aut malitia afficiunt.  
**XXIII.** Frequenter in genere  
moris benè agit is, qui sequitur  
opinionē verè probabilē relictā  
probabiliori. **XXIV.** Peccatum  
mortale in ratione offendæ non  
est simpliciter infinitum. **XXV.**  
Veniale cum solo originali stare  
potest. **XXVI.** Et cum Gratia  
sanctificante mortale de absolu-  
ta DEI Potentia. **XXVII.** My-  
sterium Incarnationis Dominicæ,  
quod

quod in admirabili hypostatica  
duarum naturarum Divinæ sci-  
licet, & humanæ in supposito Di-  
vini Verbi unione consistit, jam  
positum est. *XXIII.* Ejus prima-  
rium motivum non fuit peccati  
remedium, adeoque etiam non  
peccante Adamo Divinum Ver-  
bum carnē assumpsisset. *XXIX.*  
Dominium duorum in solidum  
unius rei, quia sine fundamento,  
stare non potest. *XXX.* Ecclesia  
directè præcipere potest, vel  
prohibere actus purè internos.  
*XXXI.* Fidei objectum est Deus  
in Dicendo infallibilis. *XXXII.*  
Qui nec per se, nec per alium  
mentiri. *XXXIII.* Infundere ta-  
men actum, vel habitum erro-  
neum potest. *XXXIV.* Habitus  
fidei

fidei inclinat ad quasdam propositiones, quæ secundum se spe-  
ctatæ sunt speculativæ, & in hoc  
sensu non incongruè dicitur spe-  
culativus. XXXV. Considera-  
tus ad alias propositiones purè  
practicæ, potest dici practicus.  
XXXVI. Nihilominus Fides  
Divina est simpliciter practica.  
XXVII. Visio immediata ob-  
jecti repugnat, etiam Divinitus,  
cum fide actuali de eodem XX-  
XVIII. Summus Pontifex, qua-  
lem verè esse Clementem XI. est  
defide XXXIX. Homo, cui fa-  
cta esset revelatio certa, & abso-  
luta suæ perditionis æternæ pro-  
pter peccata jam comissa, & præ-  
terita, nequit rationabiliter spe-  
rare beatitudinem. XL. Quin  
imò

imò licet desperaret, seu nolle beatitudinem. **XLI.** De fide est definitum, in purgatorio esse aliquas poenias in genere, non tamen est de fide, quæ species, & sortes poenarum ibi sint. **XLII.** Hinc Animæ in purgatorio propriæ poena damni non puniuntur. **XLIII.** Amor DEI intensus gradualiter exoptandus est, sed legem adimplet amor appreciativus. **XLIV.** Dilectio inimici pro omni statu naturæ, scripto, & Gratiæ vim legis obligantis obtinuit. **XLV.** Amor Theologicus viæ specie differt ab amore Patriæ. **XLVI.** Virtutes morales dantur, sed non per se infusa. **XLVII.** Largitor bonorum DEUS nullo unquam tempore per-

permisit Cultores suos absquè  
remedio ( quod fuit verum Sa-  
cramentum ) necessario ad salu-  
tem. XLVIII. Si statum Inno-  
centiæ excipias , in quo nullum  
instituit. XLIX. Instituisset ta-  
men aliquod Sacramentum , si  
is perseverasset. L. Defecto  
sunt septem tantum moraliter  
gratiam causantia. LI. Baptis-  
mus validè , & servatis servan-  
dis etiam licetè confertur parvu-  
lis infidelium , invitatis eorundem  
genitoribus. LII. Materia cer-  
ta Sacramenti Eucharistiæ est pa-  
nis triticius , & vinum de vite.  
LIII. Cui modicissima aqua su-  
perinfunditur convertenda prius  
in vinum. LIV. Episcopatus est  
Ordo propriè dictus , & à Sacer-  
dotio

dotio distinctus, non tamen ita  
sicut alij Ordines inter se distin-  
guuntur. LV. Non datur Sacra-  
mentum Pœnitentiæ validum,  
& informe. LVI. Peccatum in  
materia gravidubiè commissum est  
materia necessaria confessionis.  
LVII. Forma Sacramenti Pœni-  
tentiæ sunt ea verba: *Absolvo Te.*

O.A.M.D.G.E.B.V.H.